

WILLIAM OF LUXI, OP
TWENTY–EIGHT UNIVERSITY SERMONS
PREACHED AT PARIS

ca. 1268-1275

Transcribed by
Andrew T. Sulavik

2023

TABLE OF CONTENTS

Sermo 1: Dominica tertia Adventus	1
Oxford, Merton College 237, ff. 116rb - 117vb	
Sermo 2: Sermo de natiuitate Domini (media nox)	7
Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 180va-184ra	
Sermo 3: Sermo de nativitate Domini	15
Oxford, Merton College 237, ff. 2va-5rb	
Sermo 4A: Sermo in festo sancti Stephani protomartyris	23
Soissons, Bibl. Municipale 125, ff. 74va-79va	
Sermo 4B: Sermo in festo sancti Stephani protomartyris	35
Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 191ra-195va	
Sermo 5: Sermo in festo Innocentium	47
Soissons, Bibl. Municipale 125, ff. 79va-83rb	
Sermo 6: Dominica in Septuagesima	57
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 40va-44rb	
Sermo 7: Dominica in Septuagesima	63
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14923, ff. 51ra-52rb; Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 44rb-47rb	
Sermo 8: Dominica in Septuagesima	67
Troyes, Bibl. Municipale 951, ff. 19v-22r Bruxelles, Bibl. Royale, 21861, ff. 55rb-59r	
Sermo 9: Dominica prima in Quadragesima (Collatio only)	77
Troyes, Bibl. Municipale 951, ff. 27r-30v	
Sermo 10A: Dominica prima in Quadragesima	83
Oxford, Merton College 237, ff. 147rb-151ra Cambridge, Pembroke College, 238, ff. 11vb-13rb	
Sermo 10B: Dominica prima in Quadragesima	93
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 56rb-62va	
Sermo 11: Dominica secunda in Quadragesima	101
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14923, ff. 52rb-53vb	

Sermo 12: Dominica quarta in Quadragesima	105
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 75ra-80ra	
Sermo 13: Dominica in Ramis Palmarum	111
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 85vb-91vb	
Sermo 14A: Dominica infra octavam Pasche	119
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 97va-100vb	
Sermo 14B: Dominica infra octavam Pasche	123
Cambridge, Pembroke College, 238, ff. 14va-16ra	
Sermo 15: Dominica tertia post Pascha	129
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 104ra-108vb	
Sermo 16: Feria secunda post Pentecosten	135
Paris, Bibl. Nationale, lat. 16481, ff. 282vb-284vb	
Paris, Bibl. Nationale, lat. 16482, ff. 60rb-62ra	
Oxford, Bodleian Library, Ashmole 757, ff. 278rb-280vb	
Worcester, Cathedral Library F 5, ff. 91ra-92vb	
Sermo 17: Sermo in festo sacratissime Trinitatis	141
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 123va-125vb	
Sermo 18: Dominica tertia post Trinitatem	145
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 132rb-134vb	
Sermo 19: Dominica septima post Trinitatem	149
Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 143vb-146rb	
Sermo 20A: Dominica decima quinta post Trinitatem	153
Paris, Bibl. Nationale, lat. 16499, ff. 239ra-240ra	
Sermo 20B: Dominica decima quinta post Trinitatem	159
Oxford, Merton College 237, ff. 116rb - 117vb	
Sermo 21: Dominica uicesima secunda post Trinitatem	163
Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 198vb-203vb	
Sermo 22: Dominica uicesima tertia post Trinitatem	175
Oxford, Merton College 237, ff. 233rb-235ra	

Sermo 23: Sermo in festo assumptionis beate Marie uirginis Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 253va-254va	181
Sermo 24: Sermo in festo nativitatis beate Marie uirginis Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 249vb-251rb	185
Sermo 25: Sermo in festo sancte Katherine Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 255vb-257ra	189
Sermo 26: Sermo in commemoratione beate Marie uirginis Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 251rb-252va	193
Sermo 27: Sermo in aduentu uel natiuitate Domini uel annunciationis Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 252va-253va	197
Sermo 28: Sermo in quolibet sabbato per annum Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 254vb-255vb	201

<SERMO 1>¹

<Dominica tertia adventus>²

Dominica prima aduent<us> fratris Will<elm>i de Luscý

Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum, qui preparabit uiam tuam ante te.

1 "In omni oratione petitiones uestre innotescant apud Deum." Verba ultima scripta sunt in officio misse hodi<erne>, et sunt sumpta de epistola ad Philippenses. Bernardus distinguit quatuor species oracionum, Super cantica, et dicit: "Quedam est oratio tepida, et ista languescit et frangitur nec ascendit. Alia est oratio timida, et ista similiter non ascendit, set timore repellitur. Alia est oratio temeraria et presumptuosa; ista ascendit, set ei resistitur," quia *superbis Deus resistit*. Quarta oratio est graciosa, et ista ascendit, et [116va] impetrat gratiam diuinam, de qua Bernardus: "Que uero fidelis, humilis et feruens oratio fuerit, sine dubio impetrabit." Que fuerit fidelis per rectam intencionem quantum ad rationalem, humilis per sui deiectionem quantum ad ira[s]cibilem, et feruens per feruidam affectionem quantum ad concupiscibilem, impetrat gratiam Saluatoris. Dicit igitur: "In omni oratione, etc. Ostendamus igitur Deo petitionem per quam poterimus impetrare gratiam,³ sine qua, scilicet gracia, <nec> sermo graciosus nec precacio est graciosa aput Deum, nec apud peccatorem,⁴ nec auditorem. Igitur in principio rogemus, etc.

Hic est de quo etc.

2 Saluator noster in Ewangelio hodi<erno> extollit multum beatum Iohannem Baptistam. Inter cetera que dicit de ipso, insinuans eius gratiam et uite excellenciam, notat eum angelum a Deo missum ad uiam salutis preparandum in uerbis istis. Et quia laus serui redundat in laudem domini, ideo bonitas et prerogatiua, que in seruo siue in homine puro esse potuit, excellentissime in Christo fuit. Vnde de ipso potest exponi uerbum istud Ysaie: *Seruus meus <es tu> Israel, quia in te gloriabor*. Gloria in seruo attribuitur Domino. Loquitur igitur Scriptura de Christo tamquam de nuncio a Deo misso ad salutem nostram procurandam.

3 Ad bonum nuncium requiruntur quatuor: litera testimonialis siue⁵ litera de credencia, in qua ueritas;⁶ autoritas mittentis; bonitas missi, alioquin suspecta esset missio; et quarto requiritur officii uel negocii utilitas. Ista per ordinem notantur hic quatuor:⁷ litera testimonialis in qua ueritas notatur,⁸ cum dicit: *Hic est de quo scriptum est etc.*; mittentis autoritas, ibi: *Ecce mitto*; missi sanctitas notatur, ibi: *angelum meum*; negocii utilitas, ibi: *qui preparabit uiam tuam ante te*. Primum requiritur, ut nuncio credatur; secundum, ut ei obediatur; tertium, ut cognoscatur cuius<modi> |

¹ Manuscript: Oxford, Merton College 237, ff. 116rb - 117vb. Cfr J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 25 and n. 26; TH. KAEPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 114, n. 1561. Transcription by Andrew T. Sulavik.

² Because the thema, *Hic est de quo scriptum est* (Mt. 11:10), is from the Gospel lectionary reading for the Third Sunday of Advent (Matthew 11:2-10), the manuscript rubric stating that this sermon was given on the First Sunday of Advent is likely inaccurate.

³ gratiam] omitted and restored in the margin

⁴ peccatorem] perhaps a scribal error for predicatorem

⁵ siue] omitted and restored in the margin

⁶ in qua ueritas] omitted and restored in the margin

⁷ quatuor] .v.

⁸ in qua ueritas] omitted and restored in the margin

116vb| uite sit; et quartum, ut diligatur. Qui mittitur pro negotio alterius ab eo diligere debet.

4 Primo, dico, requiritur in nuncio litere testimonialis ueritas, cum dicit: *Hic est de quo scriptum est*. Et in Io.: *Scrutamini Scripturas, in quibus uos putatis uitam eternam habere; ille est qui testimonium perhibet de me*. Glossa: "Testimonio Moysi me Deum esse intelligere potestis, si Scripturas diligenter inuestigaueris. Omnis et Scriptura testimonium perhibet⁹ de Christo, siue per figuras, siue per prophetas, siue per angelorum ministeria."

5 *Hic est de quo scriptum est*. Quatuor de Christo scripta sunt, ad que omnia alia que de ipso scripta sunt reducuntur. Primum est Incarnacionis humilitas; secundum est preconis eius ueritas; tercium est passionis eius caritas; et quartum est iudicarie potestatis seueritas.

6 Primo, dico, scripta est de Christo Incarnacionis eius humilitas, quia angelus magni consilii a Patre missus est ad nos in Incarnacione. Incarnacio est Filii Dei mission. De ista Incarnacione dicitur in Gen.: *Non auferetur <s>ceptrum de Iuda, id est regia dignitas, et dux de femore eius, quantum ad¹⁰ naturalem originem, donec ueniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium, quia desiderabant eam; et in Exodo: Obsecro, Domine, mitte quem missurus es; et ad Gal.: At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum unigenitum, natum ex muliere, factum sub Lege; et ad Phil.: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse equalem¹¹ Deo, id est non rapuit naturam diuinam, set habuit eam per naturam; set exinaniuit se, scilicet ueniens in mundum, formam serui puniendi accipiens*. Exemplum humilitatis nobis relinquendo, istud maxime deberet clericum trahere ad humilitatem, set regnat superbia in clericis <quando> pro modica dignitate inflantur. Gregorius: |117ra| "Ad hoc unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostre accepit; ad hoc ipse inuisibilis non solum uisibilis, set¹² despectus apparuit; ad hoc contumeliarum iniurias, illucionum probra, corporis passionum¹³ tormenta sustinuit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus." Humilitatem uerbo docuit et facto eam ostendit: docuit eam uerbo, dicens: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*; facto etiam humilitatem ostendit, quia se humilauit. Si consideraret superbus statum suum, non inflaretur. Superbus est sicut uesica inflata que natat super aquam, que si pungatur acu submergitur. Ita superbus super aquas deliciarum mundi natat, set si pu<n>[g]atur aculeo mortis, demergitur in infernum. *Submersi sunt in mari. Vertit aquas eorum in sanguinem. Des<c>enderunt in profundum quasi lapis*. Lapis statim des<c>endit ad centrum, similiter superbus. Luctatur Deus cum superbo. Qui luctatur cum alio leuat eum sursum in aere, et postea proicit eum, et facit eum cadere turpiter, Iob: *Eleuasti me, et quasi super uentum ponens, elisisti¹⁴ me ualide*. <Sicut> uentus ualidus sternit altas arbores, non paruas, ita flatus¹⁵ Domini eleuatos prosternit, unde scribitur: *Sedes ducum superborum euertit Deus, et fecit sedere mites pro eis*. Primo igitur scripta est de Christo Incarnacionis eius humilitas.

7 Secundo, scripta est de Christo preconis eius siue doctrine ueritas. Vnde in Ioh.: *Scriptum est¹⁶ in prophetis: erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit a Patre, et*

⁹ perhibet] written twice

¹⁰ ad] written twice

¹¹ equalem] corrected above the line

¹² set] written and expunged, then restored in the margin

¹³ passionum] corrected in the margin

¹⁴ elisisti] I have written with the Vlg., alicisti cod.

¹⁵ flatus] omitted and restored in the margin

¹⁶ Scriptum est] omitted and restored in the margin

didicit, uenit ad me; et in Malach.: *Lex ueritatis <fuit> in ore eius, et iniquitas non est*¹⁷ *inuenta in labiis ipsius*; et in Io.: *Quid queritis me interficere, hominem qui ueritatem locutus sum uobis*. Itaque ueritatem deberet habere quilibet clericus. Dicit Apostolus ad Philippenses: *De cetero, fratres*, quasi dicat: Vsque modo locuti estis falsa et detractoria. Set *de cetero, fratres, quaecumque <sunt> uera*, contra falsitatem, *quaecumque pudica*, contra immundicie uilitatem, *quaecumque |117rb| sancta*, contra garulitatem, *quaecumque iusta*, contra iniquitatem, *quaecumque amabilia*, contra odibilia, *quaecumque bone fame*, contra defamatoria, *siqua uirtus*, contra uilia, *siqua laus discipline*, id est religionis, *hec cogitate, que accepistis et didicistis*, a saluatore et apostolis. Set dicitur in Osee: *Non est ueritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra*.¹⁸ Non est ueritas, quia regnat modo falsitas, unde Ier.: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii*. Arcus habet duo cornua, similiter mendacium, quia in mendacio est falsa uocis prolatio et fallendi intentio. Vnde Ieronimus: "Nunc rara fides est, quia aliud in labiis, aliud in corde uersatur: anime uenenum lingue mella contegunt blandis et fictis locucionibus." Vipera quando col[h]it cum murena deponit uenenum. Per coitum familiaritas signatur. Locuntur detractores uerba blanda et latet uenenum. Bernardus: "Dic, ypocrita, si bonum est esse bonum, tu cur non uis esse quod uis apparere?"

8 Tercio, scripta est de Christo passionis eius caritas, unde in Mattheo: *Percuciam pastorem, et dispergentur oues*, id est apostoli; et in Luc.: *Ecce ascendimus Ierosolimam, et consummabuntur omnia que scripta sunt de Filio hominis: et tradetur gentibus, illudetur, conspuetur et flagellabitur: et postquam flagellatus fuerit, occidetur*. Tradetur Innocentia, illudetur Sapiencia, conspuetur Pulcritudo, flagellabitur Potencia, et occidetur Vita. Ista fuit maxima caritas Christi, unde in Ioh.: *Maiorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponet*¹⁹ *quis pro amicis suis*. Bernardus: "In passione Christi tria conuenit intueri, scilicet opus, modum et causam; in opere namque paciencia, in modo humilitas,²⁰ et in causa caritas commendatur." O quam duri sunt qui ad Christi passionem non afficiuntur! Vnde Bernardus: "O duri et indurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flam<m>a, tam ingens ardor amoris, |117va| tam uehemens amator, qui pro uilibus sarcinulis tam pretiosas merces ef<f>udit!" Pro peccatis tuis Christus passus est, et non compateris Christo passo. Dicitur in Ecclesiastico: *Miserere anime tue placens Deo, et congrega; et contine cor tuum in sanctitate*.

9 Quartum quod scriptum est de Christo est iudicarie potestatis seueritas, unde in Ysa.: *Ecce scriptum est coram me*; sequitur: *reddam et retribuam in sinum uestrum iniquitatem uestram*; et in Apoc.: *Qui sedebat super eum, uocabatur Fidelis et Verax, et cum iusticia pugnat et iudicat; habens in uestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium*. Implebitur scriptura, que est in Dan.: *<Hec> est scriptura, que digesta est: Mane, Thechel, Phares*. Mane interpretatur numeratum est regnum tuum, id est peccata tua proba. Dicit Gregorius: "Si <Dominus> uias nostras considerat, si gressus nostros considerat,²¹ etiam minutissime cogitationes et tenuissima uerba, que usui non ualuerunt, indiscussa non remanebunt." Thechel interpretatur appensum est regnum tuum et inuentum est minus habens: nec merita tua nec aliorum erunt tibi suffragancia. Phares interpretatur diuisio, et signat illam diuisionem qua diuidentur boni a malis, quando dicitur malis: *Ite, maledicti in ignem eternum*. Horribilis est illa diuisio, unde in Osee: *Heu! Consolacio abscondita est michi, quoniam ipse inter fratres diuidet*: unus frater dampnabitur et alius saluabitur.

10 Patet modo primum, scilicet quod requiritur in bono nuncio, scilicet literę

¹⁷ est] omitted and restored in the margin

¹⁸ terra] sena written, and terra corrected above the line

¹⁹ ponet] Vulgate has ponat

²⁰ humilitas] humilitatis written, and humilitas corrected in margin

²¹ si gressus nostros considerat] omitted and restored in the margin

testimonialis ueritas, quod notatur cum dicit: *Hic est de quo scriptum est.*

11 Secundo, requiritur in bono nuncio mittentis autoritas que notatur cum dicit: *Ecce ego mitto.* Loquitur Deus Pater, qui misit Filium suum et Spiritum sanctum in mundum, unde in Abdia: *Auditum audiuius a Domino; et legatum ad gentes misit.* Quatuor leguntur²² de isto mittente, scilicet quod fuit summus, uiuens, uerax et sanctus. Ex primo intelligitur quod autoritas eius est summa et dignissima;²³ ex secundo quod est uiua et efficacissima; ex tercio quod est uerissima;²⁴ | 117vb | et ex quarto quod est sanctissima.

12 Primo, dico, <Pater> mittens est summus, Ps.: *Misit de summo, et accepit me* etc. Item Ps.: *A summo celo egressio eius;* et in libro Sapiencie: *Mitte illam de celis sanctis tuis, et de sede magnitudinis tue.* "Cum qui<e>tum silencium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus uenit." Econtra potestas ecclesiastica est modo infima et uilissima in malis <prelatis>. Quod est de terrenis possunt dicere de spiritualibus: Hoc est in nostro pectore cura minor. Ysa.: *Ve terre symbalo alarum, que est trans flumen Ethiopie, que mittit <in mare> legatos in uasis papiris super aquas.* Ve, scilicet dampnationis eterne, terre, id est potestati terrene, quia est terrena, animalis, dyabolica, symbalo, quia tumultuosa, alarum, quia est uana, que est trans flumen Ethiop<i>e, id est infamis per peccatum (in Ethiopia est nigredo), que mittit legatos in mare,²⁵ scilicet mundi, in uasis papiris, in quo intelligitur fragilitas, <super aquas>, id est super mundi delicias. Hec monstruosa res est: gradus summus et animus infimus; sedes prima et uita ima; lingua magniloqua et manus ociosa; sermo multus et fructus nullus; uultus grauis et actus leuis; ingens autoritas et mutans stabilitas.

13 De residuo erit²⁶ collatio. Rogabimus Dominum etc.

<COLLATIO>²⁷

Hic est de quo scriptum est etc.

14 Dictum est in mane quod ad bonum nuncium requiruntur quatuor. Primum est littere testimonialis ueritas, et de ista aliqua dicta sunt. Secundum est mittentis autoritas, sine²⁸ autoritate nuncius non²⁹ debet precedere. Littere testimonialis ueritas³⁰ <notatur> cum dicit: *Hic est de quo scriptum est.* Mittentis autoritas notatur cum dicit: *Ecce ego mitto.* Mittens est Deus Pater, et diximus quod Pater mittens est summus et altissimus, et ideo est autoritas eius summa et dignissima. Et ostensa est autoritas malorum prelatorum esse infi[r]ma propter peccatum.

15 Item Pater mittens est uiuens, | 118ra | unde in Iohanne: *Sicut misit me Pater uiuens, et ego uiuo propter Ipsum.* Et ex hoc eius autoritas intelligitur esse causa³¹ efficacissima. Viuere est actus continuus uiuentis, et finis et origo omnium actuum nostrorum, quia isto actu cessante cessant omnes actus nostri. Et Pater fons est uite, ideo eius autoritas est efficacissima.

16 E contrario autoritas malorum prelatorum est infima et remissa, unde in Isa.:

²² [eguntur] reguntur

²³ summa et dignissima] written, and then restored in the margin

²⁴ uerissima] lacuna, restored in the margin

²⁵ mare] mari

²⁶ erit] et written, and erit corrected in the margin

²⁷ f. 117vb - 118vb.

²⁸ sine] sn'

²⁹ non] expunged, but I have restored it

³⁰ ueritas] uero written and expunged, and ueritas added in the margin

³¹ causa] omitted and restored in the margin

*Tu quid hic, aut quasi quis*³² *hic?* quasi dicat: Similitudinem habes prelati, et non es[t]. *Pastor, et idolum dereli*<n>[g]uens gregem, quia excidisti <tibi> *hic sepulcrum, excellens memoriale tuum.* Faciunt ecclesias in domibus patrum; *diligenter fecisti in petra*, †fecisti aut de tabernaculum aut de quo pauperes uiuere possent. † Scribitur: *Super cathedram Moysi sedunt scribe et pharisei.*³³ *Que dicunt, facite; que faciunt, nolite*³⁴ *facere: dicunt enim, et non faciunt.* Bernardus loquitur pro tempore³⁵ isto ad prelatos: Non est in hoc tempore ornare sponsam set spoliare;³⁶ non est eam custodire set spoliare; non est eam defendere set destituere; non est eam instruere set destruere;³⁷ non est pas[s]<c>ere gregem set mactare, dicente Domino de prelati: *Qui deuorant plebem meam sicut escam panis.*

17 Tercio, Deus Pater mittens Filium est uerax, unde in Iohanne: *Qui misit me, uerax est; et que audiui ab eo, loquor uobis.* Non est autoritas Filii aliena a Patre, non usurpata, sicut in multis, Ier.: *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* Gregorius: "Dicere pudet et grauius est tacere, regendi <rectores et> docendi <doctores>, non erubescunt uideri nec metuunt. Ducatum animarum inpudenter assumunt,³⁸ quibus uia animarum ignota est, et quo ipsi gradientur ignari sunt." Isti sunt ambiciosi qui sine autoritate currunt ad animarum regimen. Bernardus: "Presumptuosius in conuentibus primus residet, in consiliis primus respondet; non uocatus accedit, non iussus se intromittit; refecit facta, reordinat ordinata. |118rb| Et quicquid ipse non fecerit uel non ordinauerit, nec recte factum nec iuste ordinatum estimat."

18 Quarto, Pater mittens est sanctus, unde in Iohanne: *Pater sancte, conserua eos, quos dedisti michi. Sicut misisti me in mundum, et ego misi eos.* Et sicut mittens est sanctus sanctorum, sic eius autoritas est sancta. Dicitur in Ecclesiastico: *Non est speciosa*³⁹ *laus in ore peccatoris,*⁴⁰ quia non est a Deo missus. Dicitur in Ezechiele: *Qui uident mala et diuinant mala, et dicunt: Dominus misit eos, cum tamen non miserit eos.* Ista autoritas mittentis requiritur in nuncio, ut ei obediatur. In nuncio⁴¹ regis obeditur cicius, Ps.: *In auditu auris obediuit michi.* Et in Actu: *Oportet magis obedire Deo quam hominibus.* De isto nuncio dicitur in Malachia: *Statim ueniet ad templum sanctum suum Dominator ominus quem uos queritis, et angelus testamenti quem uos uultis.*

19 Per "angelum" intelligitur nuncii sanctitas, que est in Christo et in angelis, siue puritas et mundicia nature intellectualis. Vnde Gregorius: "[Angeli] <Sunt nonnulli qui> sic in semetipsis omnibus desideriis dominantur, ut iure mundicie sue inter homines angeli uocentur." In Mattheo dicitur: *In resurrectione non nubent neque nubentur; set erunt sicut angeli Dei in celis.* Ista mundicia in Christo fuit, *qui peccatum non fecit, nec in inuentus est dolus in ore eius.* In clericis necessaria est mundicia cordis ad gratiam diuina<m> optinendam. <Sicut> qui habet bonum licorem non libenter ponit eum in uase corrupto, ita Deus licorem preciosum gracie sue non uult ponere in corde immundo. Vnde in Prou.: *Qui diligit cordis mundiciam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* Ad recipiendam gratiam diuinam necessaria est mundicia cordis. In psalmis et oracionibus loquitur clericus in ecclesia Deo, et ideo requiritur mundicia oris in clericis, quia non placeret Deo quod ore immundo loqueretur ei clericus. Vnde dicit Dominus: *Ecce auferetur iniquitas* |118va| *tua, tetigi*<t> *labia tua, et*

³² quis] quid

³³ pharisei] corrected in the margin

³⁴ nolite] I have written with the Vlg., licite

³⁵ que – tempore] omitted and restored in the margin

³⁶ spoliare] perhaps a scribal error; Bernard's text reads perdere

³⁷ destruere] Bernard's text reads prostituere

³⁸ assumunt] assumere

³⁹ speciosa] sponsa written and expunged, and corrected with speciosa in the margin

⁴⁰ peccatoris] quia non est sponsa laus in ore peccatoris added after, and then vacated (va-cat)

⁴¹ In nuncio] mencio written and expunged, and in nuncio added in the margin

peccatum tuum mundabitur. Item necessaria est in clericis mundicia manus, id est operacionis. Seruis Deo, credis quod placeat Deo seruicium cum operibus malis? Propter hoc scribitur: *Emundate manus, peccatores.* Non placeret regi quod garcio cum immundis manibus tangeret cupam eius de qua bibit. Cupa in qua bibit Rex glorie est calix, quem parat subdiaconus et offert eum diaconus. Est igitur in angelo mundicia et sanctitas.

20 Secundo, est in angelis claritas cognicionis, quia clarissime uident Deum, unde in Matth.: *Angeli eorum semper uident faciem Patris mei, qui in celis est.* Ista claritas cognissionis⁴² excellentissime fuit in Christo, qui est sapientia Dei eterna, de qua in libro Sapientie: *Clara est, et que non marcessit, sapientia.* Et in Christo sunt omnes thesauri sapientie et sciencie absconditi. Et est ista sapientia contra cecitatem, sicut puritas est contra immundiciam et uilitatem que est ex peccato. Et cecitas ortum habet ex peccato, unde in Soph.: *Ambulabunt ut ceci, quia Domino peccauerunt.* Si peccator non esset cecus, quando uideret periculum, declinaret.

21 Tercio, est in angelis ardor affectionis, Ps.: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem.* Iste ardor caritatis excellentissime fuit in Christo, qui dicit in Matth.: *Ignem ueni mittere in terram, et quid uolo nisi ut ardeat?* Iste ignis caritatis accensus fuit in passione, quando pre ardore caritatis Christus sudorem sanguinem emisit. Item calor et ardor dilatant cor,⁴³ et Christus cor habuit dilatatum in passione, quando pro inimicis orauit, dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt*⁴⁴ *quid faciunt.* Item ardor facit sitire salutem animarum: Pater, inquit, sitio.

22 Quarto, est in angelis libertas actionis, unde Ro.: *Ipsa creatura liberabitur a seruitute peccati in libertatem glorie filiorum Dei.* Set quomodo liberabitur? Certe per angelos, quia omnes sunt administratorii spiritus, propter eos missi qui hereditatem capient⁴⁵ salutis. Vnde Crisostomus: "Intelligite quantus |118vb| honor nobis existit, quod ad nos tamquam ad amicos angelos suos mittit <Deus>. Licet enim multum intersit inter nos et angelos, tamen propinquos nobis fecit, quia student⁴⁶ saluti nostre, propter nos discurrunt, pro nobis officio suo utuntur." Et Christus eciam studuit saluti nostre, unde Augustinus: "Quid est Iesus nisi saluator? Ergo propter temetipsum esto michi Iesus. Noli sic attendere malum meum ut non intendas salutem mee: et si ego commisi unde me dampnare potes, tu non amisisti unde saluare soles." Patet modonuncii sanctitas siue bonitas.

23 Quarto, requiritur in nuncio negocii⁴⁷ utilitas, que notatur cum dicit: *qui preparabit uiam tuam ante te.* Quatuor fecit Christus per que salutem nostram parauit. Eduxit nos de uia mala mundi seu Egipti, unde in Numeris: *Nosti quantum affligerunt*⁴⁸ *nos Egipcii, et clamauius ad Dominum, et exaudiuit nos, et misit angelum suum, qui eduxit nos de Egipto.* Egiptus interpretatur meror uel tenebre. Eduxit nos Dominus de tenebris corporis et anime in presenti per gratiam, et in futuro educet nos per gloriam. De aliis tribus que fecit nuncius, iste dicitur in Exodo: *Ecce mitto angelum meum, qui precedet te, antecedendo,*⁴⁹ *et custodiet,*⁵⁰ *te ab inimicis defendendo, et introducet, te ad terminum uie perducendo, in locum quem paraui tibi.* Locus ille est locus glorie eterne. Ad quem nos perducatur, qui cum Patre etc.

⁴² cognissionis = cognicionis

⁴³ dilatant| delectant

⁴⁴ nesciunt = nesciunt

⁴⁵ capient| capiant

⁴⁶ student| studeret

⁴⁷ negocii| I have corrected, see above para. 3, nuncii

⁴⁸ affligerunt| affluserunt

⁴⁹ antecedendo| anstudo (?)

⁵⁰ custodiet| I have written with the Vlg. custodiat

<SERMO 2>¹

<Sermo de natiuitate Domini (media nox)>

Sermo in natiuitate Domini fratris Guill<elm>i de Busci (Media Nox)

Inpleti sunt dies Marie ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum.

1 *Hec dies boni nuncii est. Si enim tacuerimus et noluerimus nunciare, sceleris arguemur. Venite, et nunciemus in aula regis.* Verba ultima sunt in <IV> libro Regum. Dies natiuitatis dominice etiam prima dies. In Hester dicitur: *Ortus est sol et exaltati sunt humiles.* De isto sole dicitur in Mal<achia>: *Vobis timentibus nomen meum ortus est Sol iusticie, et sanitas in pennis eius. Hec est dies quam fecit Dominus; exultemus et letemur in ea.* Et inde dies |180vb| boni nuncii, unde in Prouerbiis dicitur: *Nuncius bonus de terra longinqua.* Nuncius iste est angelus qui uenit de longinquo, id est de celo, et portauit optimos rumores, unde in Luca: *Ecce euangelizo uobis gaudium magnum, quia natus est uobis hodie Saluator, Ihesus Christus.* Ex uerbis Hester colligitur quod sententia da<m>pnationis tocius humani generis fuit lata, annulo regis summi sigillata, et per prophetas per uniuersum orbem promulgata, et ratio interfectionis iam assignata, quia statim cum mortuus fuit quis ad inferos descendit. Set hodie sententia dampnationis est reuocata, ergo hec dies est boni nuncii. Si tacuerimus, scilicet nos predicatoris, sceleris arguemur. *Venite, et nunciemus in aula regis*, id est in Ecclesia. In principio igitur etc.

Inpleti sunt etc.

2 Scitis quod circa duo uersatur hodie Ecclesie officium et humani generis gaudium, scilicet circa Virginis mirabilem fecunditatem et circa prolis laudabilem dignitatem. Et hec duo tanguntur in proposito: primum tangitur cum dicit: *Inpleti sunt dies Marie ut pareret*; secundum cum dicit: *Et peperit etc.*

3 De primo tanguntur duo, scilicet pariendi tempus cum dicit: *Inpleti sunt dies*; secundo, tangitur pariendi modus cum subdit: *Marie uirginis ut pareret.*

4 Primo dico notatur pariendi tempus, quod est tempus plenitudinis, unde Apostolus: *Cum autem uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Modus autem pariendi fuit mirabilis, quia uirgo peperit. Et quia modus pertinet ad solemnitatem hodiernam, ideo dicamus de modo.

5 Fuit autem modus pariendi mirabilis, quia fuit fecunditas cum uirginitate et uirginitas cum fecunditate, unde cantat Ecclesia: "Veni, Redemptor gentium" etc. Et alibi dicitur: "Tu que genuisti, |181ra| natura mirante, tuum sanctum Genitorem." Miratur autem natura, quia eius cursus transcenditur quadrupliciter: primo in temporis preuencione; secundo in modi inmutacione; tercio in modi innouacione; quarto in modi multiplicatione.

6 Primo dico miratur natura, quia transcenditur eius cursus in temporis preuencione, unde in euangelio: *Antequam ueniret tempus eius, peperit masculum*: Maria

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 180va-184ra. Other manuscript witness: Soissons, Bibl. Municipale 125, ff. 71ra-74va. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 477, n. 6 and n. 7; TH. KAEPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 110, n. 1538.

Christum. Set numquid tempore debito peperit? Quomodo ergo tempus preuenitur? Dico quod duo faciunt tempus preuenire: uirginitatis amissio et seminis commissio. In ipsa enim non fuit uirginitatis amissio, unde in Luca: *Ecce uirgo concipiet et pariet*. In ipsa enim non fuit seminis commissio, quia de Spiritu sancto concepit ex mistico spiramine, non ex uirili semine, unde in Luca: *Antequam conuenirent inuenta est in utero habens; quod enim in ea natum e<s>t de Spiritu sancto*. Et dicit “in utero,” non “ex utero.” Et in Luca: *Quod enim nascetur ex te sanctum, uocabitur Filius Dei*.

7 Secundo transcenditur cursus nature in modi inmutacione, quia in melius mutatur modus pariendi. Mulieres prius consueuerunt parere in dolore, unde in Gen.: *<In dolore> paries filios tuos*. Item cum uiolenta corporis apercione, unde in Gen.: *Quare propter te diuisa est <in> maceria?* Set neutrum istorum fuit in beata Virgine, quia peperit sine dolore, unde Ysa.: *Antequam parturiret peperit*, id est sine dolore. Item peperit sine uiolenta corporis apercione, unde in Eze.: *Porta hec clausa erit et non aperietur, et uir non transiet per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa principi*, id est ipso Christo fuit clausa.

8 Tercio in partu isto transcenditur cursus nature in modi innouacione. Caro consueuit nasci ex carne, et spiritus ex spiritu, set in beata Virgine ex spiritu nata est caro, unde in Luca: *Quod enim natum est in |181rb| ea, de Spiritu sancto est*.

9 Quarto transcenditur cursus nature in prolis multiplicacione. Alie mulieres non pariunt simul plures, et si plures pariunt, ut Rebecca, pari<un>t unum post alium. Set beata Virgo pariendo Christum quodammodo peperit omnes fideles. Vno partu pariuntur Capud et membra: Christus est capud nostrum et nos membra. Quis umquam audiuit talia? Et propter hoc dicitur in Ecclesiastico: *Innoua signa <et> inmuta mirabilia. Glorifica brachium tuum dextrum. Inmuta mirabilia*, id est in melius muta, scilicet quod uirgo pareret que post partum uirgo manet, unde Ps.: *Cantate Domino canticum nouum*,² *quia mirabilia fecit*. Patet modo pariendi modus.

10 Sequitur pariendi tempus cum dicit: *Inpleti sunt dies*. Beata Virgo non habuit nisi dies, quia in ipsa non fuit nox actualis peccati, nec eciam uenialis, postquam in utero fuit sanctificata, ut uult Augustinus. Set fuit nox culpe originalis, de quo Iob: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo! <Noctem illam> tenebrosus turbo possideat*. Ista nox fuit clarificata quando beata Virgo in utero fuit sanctificata. In ipsa non fuerunt nisi dies luminis bonis conceptionibus³ et affectionibus adinpleti. Et fuit eius una dies quando in utero est sanctificata; secunda quando, tamquam sol oriens, est nata; tercia quando ab angelo est salutata; quarta quando a Spiritu sancto est inpregnata; et hodie est quinta eius dies quando Mater Dei est effecta: *Hec est dies quam fecit Dominus; exultemus et letemur in ea*. Set heu, nos non habuimus nisi noctes! Vnde Iob: *Sicut mercenarius prestolatur finem operis sui, sic ego <habui> menses uacuos*,⁴ *et noctes laboriosas enumeraui michi*. Aliquid esset si essent laboriosi et pleni, uel uacui et non laboriosi, set sunt uacui et laboriosi. Loquitur pro tempore⁵ ante natiuitatem |182va| Christi, quia tunc erant noctes quoddammodo laboriose et uacue,⁶ quia quantumcumque sustinerent sancti semper in morte ad

² nouum] written twice

³ exceptionibus] perhaps it should be conceptionibus

⁴ uacuos] uacuas

⁵ pro tempore] corrected

⁶ laboriose et uacue] laboriosi et uacui

inferos descenderunt, Iob: *Si sustinero, infernus domus mea est*; Ysa.: *In uacuum laboraui, sine causa et uane fortitudinem meam consumpsi*. Set hodie labores nostri sunt inpleti et consummati, quia potest homo facere talem penitenciam quod in morte statim euolabit. Non debent igitur homines modo timere aggredi penitenciam. Set <non> fuit mirum si quondam timerent. Non esset mirum si homo inuite plantaret arborem, cuius fructum non perciperet nisi per duo mil<ia> annorum. Set si fructum recipere posset in proximo autumpno, non <deberet> inuitus ipsam plantare. Set nos statim possumus percipere fructum penitencie, quia impleti sunt modo labores nostri.

11 Dicit igitur: *Inpleti sunt dies*. Dies autem natiuitatis Domini dicitur dies implecionis propter quatuor, que sunt impleta in ipsa: primo propter implecionem graciaram; secundo propter implecionem Scripturarum; tercio propter implecionem desideriorum sanctorum; quarto propter implecionem generacionum.

12 Primo dico: dicitur dies natiuitatis Domini dies implecionis propter implecionem graciaram, unde in Ecclesiastico: *Post hec Deus respexit in terram, et impleuit illam*. Peccatores ante Christi natiuitatem fuerunt extra paradysum eieci et per sentenciam condempnati. Et propter hoc dicit Psalmista: *Numquid obliuiscetur misereri Deus? Aut continebit in ira misericordias suas?* Certe non! Et propter hoc Ecclesiasticus, *post hec respexit Deus*, respectu misericordie, *super terram*, id est super sanctos, *et impleuit illam*, id est terram, que significat humanam naturam, que fuerat inanis et uacua, unde in Gen.: *Terra autem fuit inanis et uacua*; Ieremias: *Aspexi terram, et ecce uacua erat et nichili*. Set Deus <respexit super> terram, id est humanam naturam, impleuit <illam> bonis graciaram, donorum, carismatum spiritualium, et beatitudinum, quibus humana natura impleta est in Christo. Vnde in Io.: *Verbum | 182vb | caro factum est*; sequitur: *De plenitudine eius acceperunt omnes, gratiam pro gracia*. In Christo gracia <fuit> non solum sufficiencie <uel> indeficiencie, set etiam superfluencie.⁷ Vnde in Hester dicitur fons, id est Christus, unde in Ecclesiastico: *Fons sapientie Deus*⁸ *in excelsis*. *Ascendit de terra*, id est de beata Virgine, *irrigans uniuersam superficiem terre*, id est Ecclesie uel humane nature. Dicit “superficiem,” non “altitudinem.” Ps.: *Qui emittit fontes*, scilicet graciaram, *in conuallibus*, id est in humilibus. Et in Luc.: *Omnis uallis implebitur*,⁹ id est humilis, quia humiles implentur diuina gracia, quod figuratur x (pro iv) Regum, ubi dicitur quod uasa uacua impleuit Heliseus, id est Christus. Vas uacuum est capax. Similiter quantum quis habet de uacuitate¹⁰ humilitatis, tantum habet de capacitate caritatis, quia dicit Iacobus: *Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam*.

13 Secundo dies natiuitatis Domini dicitur dies implecionis propter implecionem Scripturarum, unde cantamus: “Quando natus est ineffabiliter de Virgine, tunc implete sunt Scripture, sicut pluua in uellus <descendisti>” etc. Et in Luc. dicitur: *Necesse est impleri omnia que dicta sunt [de me] in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me*. Videte quomodo implete sunt Scripture. Christus in diuinitate similis est et equalis Patri, immo est ipsa similitudo. Vnde si auderem dicere, dicerem quod ipse est occasio ruine angelice et humane. Dico occasio non data set accepta. Primus

⁷ superfluencie] superfluentie written, and ti expunged

⁸ Deus] the Vulgate reads uerbum Dei

⁹ implebitur] I have written with the Vlg., exaltabitur

¹⁰ uacuitate] uacuuitate written, and the second u expunged

angelus ex similitudine Dei accepit occasionem superbiendi, unde in Ysa.: *Ascendam in celum, et ponam sedem meam ad astra celi, et similis ero Altissimo?* Et primus homo appetendo Dei similitudinem cecidit; dixit serpens: *Eritis sicut dii*. Set Christus noluit amplius esse occasio ruine, set causa reparacionis humane. Immo quod ab eterno predestinauit et in |183ra| sacra Scriptura promisit, hodie adimpleuit, et hoc in mansuetudine. Vnde eternum Dei propositum, figure patriarcharum, scripture prophetarum, et desideria sanctorum hodie impleta¹¹ sunt, quando Christus natus est pauper, ut nos saluaret, unde in Luce: *Annuncio uobis gaudium magnum, quia natus est uobis Saluator. Et hoc uobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum*, hoc est signum cui contradicatur. Set non est curandum de talibus contradicatoribus, quia non contradicatur nisi ab amatoribus mundi et sapientibus mundi. Et hec sapientia hodie est [in] infatuata, unde Apostolus: *<Nonne> stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Stultum enim uidetur predicare Regem omnium esse paruulum natum, unde dicitur: *Placuit <Deo> per stulticiam predicatoris saluum facere credentem*. In Exodo dicitur: *Cum fuisset Moyses tribus mensibus absconditus, et cum non posset eum mater amplius celare, accepit fiscellam <s>cirpeam, et posuit eum in ea, liniuit eam bitumine, et exposuit <eum in> carecto fluminis; inuenit eum filia Pharaonis*. Moyses interpretatur assumptus ex aquis, et significat Christum qui acceptus est ex aquis tribulacionis, Ps.: *Misit de summo, et assumpsit me de aquis multis*, scilicet tribulacionis. *Fuit absconditus tribus mensibus*, id est tribus temporibus, scilicet patriarcharum, iudicum et prophetarum, in quibus Deus distulit Incarnacionem Filii; *et cum non posset eum amplius celare, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, sumpsit fiscellam <s>cirpeam*: humanam naturam, *liniuit bitumine*, id est caritate, *<et> exposuit <eum in> carecto fluminis*, id est mundi tribulacionibus; *inuenit eum filia Pharaonis: beata Maria, que fuit de semine regio*. *Inueni, inquit, quem diligit anima mea*. Sequitur: *Accipe et nutri eum, et ego reddam tibi mer|183rb|cedem*, id est regnum celorum. Set que sunt iste puelle que puerum nutriunt? Inter alias precipua est mansuetudo, que ipsum lactat. Lac est sanguis conuersus in dulcedinem. Set mansuetudo omnem amaritudinem conuertit in dulcedinem. Fere nutriunt fetum suum sanguine. Inuidiautem sunt fere, qui retinent rancorem in corde.

14 Tercio dicitur <dies> natiuitatis <Domini> dies implecionis propter implecionem desideriorum sanctorum patrum. Si uideritis sacram Scripturam, possetis uidere quantum desiderium habuerunt sancti de aduentu Christi, unde in Luca: *Beati oculi qui uiderunt ea que uos uidetis*; et in Ysaia dicitur: *Anima mea desiderauit te de nocte, set ex precordiis¹² meis in mane euigilaui ad te*; et alibi Ysa.: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terre*; Ps.: *Emitte manum tuam de alto, et eripe me; libera me de manu filiorum alienorum*, id est demonum. *Emitte de alto*, id est qui es in sinu Patris secundum diuinitatem, *<et> ueni<s> in sinum Virginis secundum humanitatem*. Omnia desideria sanctorum impleta sunt in die isto, et propterea in die isto quilibet tenetur ad graciaram acciones, Ps.: *Benedic, anima mea, Domino, et noli obliuisci omnes eius retribuciones [eius]; qui propitiatur etc. Qui redemit de interitu uitam tuam, qui coronat te in misericordia; qui replet in bonis desiderium tuum*. Sequitur: *Impleat Dominus omnes petitiones tuas; nunc cognoui etc.* Et in Aggeo dicitur: *Adhuc unum modicum, et mouebit*

¹¹ impleta] impleti

¹² precordiis] I have written with the Vlg., peccatoribus

celum et terram; sequitur: et uenient desideria collium eternorum. Mouebit celum diuinitatis, non situ set effectum, et terram humanitatis. Celum e<s>t inclinatum et terra exaltata. Istam inclinacionem celi petebat Psalmista: Domine, inquit, inclina celos tuos, et descende. Et terra, que fuerat prius uilificata, hodie est exaltata, Ps.: *Erit firmamentum* etc. Hodie celi sunt inclinati, et cras legitur quod sunt aperti. Ergo non |183va| restat nisi iu<n>ctis pedibus intrare in celum.

15 Quarto dicitur dies natiuitatis <Domini> dies implecionis propter implecionem generacionum. Quatuor fuerunt generaciones hominum, id est productiones: prima sine uiro et muliere, ex limo terre, sicut generacio Ade; secunda ex uiro sine muliere, que est generacio Eue ex costa Ade; tertia ex uiro et muliere, ut nostra generacio communiter. Oportuit igitur quod esset quarta generacio ex muliere sine uiro, et hec fuit generacio Christi in die isto, et ideo dicitur dies implecionis, unde in Ecclesiastico: *Ego mater pulcre dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sancte spei.* Innuit quomodo ista generacio est incorrupta: quia sicut dilectio, cognicio, spes et timor procedunt ex anima sine corruptione, sic beata Virgo filium suum genuit sine corruptione. Sequitur: *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generacionibus meis adimplemini.*¹³ Dicit *a generacionibus meis adimplemini*,¹⁴ quia beata Virgo generando Christum quodammodo genuit omnes fideles. De ista generatione dicitur in Gen.: *Quarta generacione reuertentur in terram suam.* De qua terra dicit Psalmista: *Credo uidere bona Domini in terra uiuentium,* ad quam nos perducatur etc.

COLLATIO¹⁵

Inpleti sunt dies Marie etc.

16 Dictum fuit hodie quod circa duo uersatur totum Ecclesie officium et nostrum gaudium, scilicet circa laudabilem prolis dignitatem et circa mirabilem Virginis fecunditatem. De mirabili Virginis fecunditate dictum fuit quomodo notatur in ipsa tempus pariendi, et etiam modus, et quomodo in modo pariendi transcenditur cursus nature. Et hoc tangitur cum dicit: *Inpleti sunt dies* etc. Et circa hoc dictum fuit quod dies natiuitatis Domini dicitur dies implecionis propter quatuor rationes, que tacte sunt in mane.

17 Nunc uero restat de secundo dicere, scilicet de |183vb| prolis laudabili dignitate, quod tangitur cum dicit: *Et peperit* etc. Vere fuit laudabilis dignitas prolis, qui<a> peperit filium, et suum, <et> primogenitum. Fuit autem Filius Patris in eterna natiuitate, filius matris in temporali, primogenitus utriusque.

18 Circa hoc secundum duo possumus uidere, quorum primum pertinet ad prolis laudabilem dignitatem, secundum¹⁶ pertinet ad nostram edificacionem.

19 Primo dico: notatur prolis <laudabilis> dignitas quia peperit¹⁷ primogenitum, quod est magne dignitatis. Christus enim multis modis fuit primogenitus: fuit primogenitus in eterna Patris generacione; secundo in temporali

¹³ adimplemini] adimpletum

¹⁴ adimplemini] adimpletum

¹⁵ 184ra-185ra

¹⁶ secundum] secundo

¹⁷ peperit] quia added after and expunged

matris generatione; tercio in omnium sanctorum anticipata sanctitatis adeptione; quarto in supereffluenti gracularum plenitudine; quinto dicitur primogenitus mortuorum resurrectionis acceleratione.

20 Primo dico: fuit Christus primogenitus in eterna Patris generatione, de qua in Ecclesiastico: *Ego, Sapientia, ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creatura[ru]m*; et Apostolus: *Christum Dominum Dei uirtutem, et Dei sapientiam*. Dicit ex ore Altissimi – ecce auctoritas respectu Filii, respectu Spiritus Sancti, et respectu omnium creaturarum; de quo in Luca: *Transeamus usque in Betlehem, et uideamus uerbum, quod factum est*. Set si est uerbum, quomodo est factum? Si est dictum, non est¹⁸ factum. Dico quod fuit ex ore Patris eternaliter eructatum et fuit caro factum in sinu matris temporali generatione, unde dicit *transeamus in Bethleem* etc. Bethleem interpretatur domus panis. Debemus transire ad illud Verbum, quod est caro factum, ipsum contemplando affectu et desiderio, et operando effectui.

21 Secundo dicitur Christus primogenitus in temporali matris generatione, Ps.: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum pre regibus terre*. Ista fuit excellentissima prerogatiua beate |184ra| Virginis, quod eundem filium habuit cum Deo Patre, et ex hoc coniuncta est Patri in Filio, et coniuncta Filio per Spiritum sanctum, quia ex Spiritu sancto concepit. Vnde Ps.: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei! Ciuitas e<s>t unitas ciuium*. De hac ciuitate dicit Psalmista: *Homo <et homo> natus est in ea; et ipse fundauit eam Altissimus*. Necesse est hic respondere et dicere quod Christus duplicem habuit naturam, scilicet diuinam et humanam. Et propter hoc dicitur in Ecclesiastico in persona beate Virginis: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*.

22 Tercio dicitur Christus primogenitus in omnium sanctorum anticipata sanctitatis adeptione, quia in instanti conceptionis fuit sanctus, Ps.: *Super ipsum autem effloreat sanctificatio mea. Suscitabo Dauid germen iustum*, id est Christum, qui in germine est iustus, unde dictum est Abrahe: *In semine tuo benedicentur omnes*. De ista benedictione dicitur in Deut.: *Benedictio illius qui apparuit in rubo ueniat super caput Ioseph, quasi primogeniti tauri <pulchritudo>, et super uerticem nazaraei*. Ioseph, qui saluauit Egiptum, significat Christum, qui est saluator mundi.

23 Quarto dicitur Christus primogenitus in supereffluenti gracularum plenitudine. Habuit enim gratiam non solum indeficientem uel sufficientem, set supereffluentem, unde in Io.: *Verbum caro factum est*. Sequitur: *De plenitudine eius accepimus omnes*, gratiam pro gratia. Ad istam plenitudinem recipiendam debemus nos omnes disponere. Set timendum est de multis, ne possit eis dici quod dicitur in Exodo: *Ruben primogenitus meus*. Ruben interpretatur filius uisionis, et significat clericos qui uident Deum in Scripturis, qui sunt primogeniti dignitate, *fortitudo mea* in Apostolis, *principium doloris mei* in martiribus; *prior in imperio, et maior in donis*. Quomodo obscuratus es? Sequitur: *Effusus es |184rb| uelud aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum eius*, scilicet per omnimodam dissolutionem. Quando aqua effunditur, nichil remanet. Similiter in multis clericis nichil remanet, nec opus bonum, nec odor bone opinionis et fame. Nulli enim ita maculant stratum Ecclesie sicut mali clerici. Et hoc est quod dicit Ysaias: *Dabo pueros principes tuos, et effeminatidominabuntur eis*.

¹⁸ est] in

24 Quinto fuit Christus primogenitus mortuorum in resurrectionis acceleratione, unde in Apoc.: *Gracia et pax a Christo Ihesu, quia ipse est primicie dormientium*. Patet modo de prolis laudabili dignitate.

25 Sequitur uidere de illis que pertinent ad nostram edificacionem, quod notatur cum dicit: *Et peperit* etc. Et notatur quod non solum concepit, set cum hoc peperit, et peperit filium, et suum, et primogenitum, et Ihesum.

26 Primo dico: concepit et peperit, quod est contra multos qui concipiunt bonum propositum set non pariunt. Immo bonum conceptum suffocant, unde Ysa.: *Dies tribulacionis, et angustie correccionis, et blasphemie <dies hec>, quia uenerunt filii ad partum, et non est eis uirtus pariendi*. Talis forte est homicida boni propositi, Iob: *Conteratur uelud lignum infructuosum. Paut sterilem*, id est intellectiuam, student multum, et uidue, id est affectiue, *malefecit*, quia non est intentus deuocioni nec oracioni; dicit: "Non habeo tempus confitendi." Dicit *conteratur*, scilicet in anima et corpore.

27 Sunt alii qui concipiunt et pariunt, set ex partu moriuntur. Similes sunt Racheli parturiendo Beniamin, de qua dicitur in Gen.: *Cum parturiret, ob difficultatem partus cepit periclitari*. De talibus qui in morte penitent, dicit Augustinus: "Non dico tales dampnari, set si uis de dubio liberari, age penitenciam dum sanus es."

28 Quidam pariunt, set <opus> malum, unde Iacobus: |184va| *Concupiscencia cum conceperit, parit peccatum*; Ysa.: *Concipietis ardorem et parietis stipulam*, id est culpam; Ps.: *Concepit dolorem, et peperit <iniquitatem>* etc. *Lacum aperuit et effodit eum; et incidit in foueam quam fecit*. Primo concipit homo peccatum; secundo parit ipsum in perpetracione; tercio aperit lacum in mali exempli ostensione; quarto fodit foueam in peccati consuetudine; quinto incidit in foueam in eterna dampnacione. Sunt alii qui pariunt opus bonum, set non masculinum, immo femininum. Opus bonum et masculinum est se adnichilare, religionem intrare, omnia propter Deum dimittere. Et hoc est opus bonum et magnum. Set femina parit opus paruum, unde consilium Pharaonis fuit quod masculi de filiis Israel interficerentur et femine reseruarentur, unde Ysa.: *Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens*, scilicet quod masculi interficerentur et femine reseruarentur. Quomodo potest homo dare alii consilium bonum, qui nescit eius conscienciam? Propter hoc dicitur in Gen.: *In consilio eorum non ueniat anima mea*. Qui uellet continere et peteret consilium a meretrice non bene peteret consilium. Similiter qui uult dimittere diuicias, non debet petere consilium ab illo qui sitit habere diuicias.

29 Sunt alii qui pariunt filium set non suum, ut illi qui opus bonum faciunt propter laudem mundi uel fauorem hominum, Ps.: *Immolauerunt filios suos et filias demoniis*, et non Deo; Ysa.: *Conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem*. *Oua aspidum ruperunt*; sequitur: *Telas aranee texuerunt*. Iniquitas est inequalitas. Magna autem inequalitas est quod homo faciat bonum propter gloriam temporalem pro quo posset mereri eternam gloriam, et ideo dicit *pepererunt iniquitatem*. Dicit *telas aranee texuerunt*. Aranea multum laborat in faciendo telam. Set quis est eius finis? |184vb| Certe ut capiat muscam. Similiter multi clerici laborant multum et diu student, ut habeant prebendam. Similes sunt filio Iude, de quo dicitur in Genesi de quodam <peccato>, quod *sciens non sibi nasci filios, fundebat semen in terra, quem percussit Dominus, eo quod detestabilem¹⁹ faceret*. Semen sunt bona opera que homo in terra

fundit, quando ipsa facit propter gloriam mundi.

30 Sunt alii qui pariunt filium suum, set non primogenitum, immo primogenita sua, id est fortitudinem suam dant diabolo. Contra quos dicit Psalmista: *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Tales similes sunt Sare, que sterilis fuit in iuuentute, set in senectute peperit. Set iste partus fuit miraculosus, quod <erant ambo> senes, et prouecte etatis, et qui iam desierant facere <Sare> muliebria, generarent. Hoc fuit miraculosum, et propter hoc Nichodemus, ammirans istum partum, dicit: *Quomodo potest homo²⁰ nasci, cum sit senex?* Pariunt igitur aliqui filium suum, set non primogenitum, unde in Exodo: *Percussit Dominus omne primogenitum Egipti, a primogenito Pharonis usque ad primogenitum captiui; et non erat domus in Egipto in qua non iacebat mortuus*.

31 Sunt alii qui pariunt filium suum primogenitum, set non Ihesum, quia in bono non perseuerant. Tales similes sunt Lie, de qua dicitur in Gen.: *Concepit et peperit filium uocauitque nomen eius Iudam*.²¹ Sequitur: *Cessauitque parere*. Similiter quidam in faciendo penitencia<m> cessant. Similes sunt Ioseph, filio Dauid, qui, cum uideret Mariam grauidam, uoluit eam dimittere. Maria interpretatur amarum mare, et significat illos qui sunt in amaritudine penitencie de malis commissis et bonis omissis. Vnde Propheta dicit talibus: *Luctum unigeniti fac tibi planctum magnum*. Ieremias: *Scito et uide, quam malum et amarum sit tibi dereliquisse Dominum Deum | 185ra | tuum*. Set tales, qui timent de asperitate penitencie et uolunt ipsam dimittere, debent facere iuxta consilium angeli, qui dixit: *Ioseph filii Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est; hic enim uenit saluum facere quod perierat*. Dauid peccator erat, et reduxit ipsum ad memoriam, quia ipse per penitenciam ueniam impetrauit. Dicit: *noli timere accip<er>e Mariam coniugem tuam*, id est facere penitenciam uel intrare religionem; *quod enim natum est in ea de Spiritu sancto est*: quod homo bonum faciat, hoc est ex Spiritu sancto; hic enim uenit saluum facere quod perierat. Similiter quod homo amisit per peccatum potest recuperare per penitenciam. Quod nobis prestare dignetur etc.

¹⁹ detestabilem] testabilem written, and de added above the line

²⁰ homo] added above the line

²¹ Iudam] I have written with the Vlg., madian

<SERMO 3>¹

<Sermo de nativitate Domini>

Sermo in nat<iuitate> Domini fratris Guillermi de luscyc²

Accipe puerum istum, et nutri michi: et ego reddam tibi mercedem tuam. Exo. primo.

1 *Loquere regi pro nobis ut ipse liberet nos de morte.* Verba ultima sunt in Hester, et sunt uerba Mardochei ad ipsam re|2vb|ginam Hester, per quam significatur Virgo beata, quia Hester interpretatur abscondita uel eleuata in populis. Et Virgo beata fuit abscondita per humilitatem, et eleuata in populis per uirginalem fecunditatem et fecundam uirginitatem. Dicamus ergo ei: *Loquere* etc. Quam breuiter, quam utiliter, et quam salubriter ipsa locuta fuerit, patet in euuangelis duobus, scilicet Luce et Iohannis, in quibus inuenitur locuta fuisse septem uicibus. Ipsa enim Virgo loquitur, et Spiritu sancto repletur; loquitur, et Filius Dei incarnatur; loquitur, et Iohannes in utero matris tripudiare sentitur; loquitur, et Deus hominibus³ subicitur; loquitur, et populus instruitur; loquitur,⁴ et aqua in uinum conuertitur; loquitur, et Deus laudatur et magnificatur, quando scilicet ipsa dixit: *Magnificat anima mea Dominum. Rogemus* etc.

Accipe puerum istum etc.

2 Si diligenter consideremus <h>istoriam uerba ista conpetunt presenti sollemp<n>itati, si consideremus quomodo antiqui patres filiorum Israel des<c>enderunt in Egyptum, et obprimebantur ab Egipciis, et seruierunt ibi in luto et latere et pal[l]ea, et quomodo omnes pueri masculini sexus proiciebantur in fluuium, set solus Moyses euasit, quia mater sua *uidens eum elegantem, abscondit eum tribus mensibus. Et cum non posset eum amplius oc<c>ultare, posuit eum in fi<s>cella <s>cyrpea, et liniuit eam bitumine, et exposuit eum flumini.* Et inuenit eum filia Pharaonis et dedit eum nutrici, et iste postmodum liberauit populum Israel ab Egypciis. Patres nostri, id est primi parentes, des<c>enderunt in Egyptum quando contra preceptum Domini de ligno uetito comederunt, et sic peccauerunt. Tunc op<p>rimebantur ab Egipciis, id est a demonibus, et seruierunt in luto luxurie, et latere auaricie, et palea superbie. Tunc enim incepit⁵ omne peccatum. Omnes masculini submergebantur in flumine excepto Moyse, id est Christo, quia omnes nas<c>ebantur cum peccato originali excepto Christo. Propter quod originale eramus <omnes> adiudicati morti eterne: Omnes enim, ut dicit Apostolus, *eramus natura filii ire.* Solus |3ra| autem Christus euasit, quia originale non habuit, tamen⁶ periculo tribulacionum nostrarum uoluntarie se exposuit quando fi<s>cellam nostre

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Oxford, Merton College 237, ff. 2va-5rb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 30; TH. KAEPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 114, n. 1562. Other manuscript witnesses: Paris, Bibl. Nationale, lat. 3737, ff. 20rb-22va (no collatio); Paris, Bibl. Nationale, lat. 15952, ff. 143rb-144ra; and Torino, Bibl. Nazionale D. VI. I, ff. 42rb-48rb

² Rubric is from Torino, Bibl. Nazionale D. VI. I, f 42ra

³ hominibus] omitted and added in the margin

⁴ loquitur] omitted and added in the margin

⁵ incepit] cepit written, and in corrected in the margin

⁶ tamen] cum

humanitatis assumpsit; istam bitumine liniuit, quia ex caritate maxima hoc fecit. Iste fuit absconditus tribus mensibus, quia tempore⁷ legis nature, legis Mosayce et legis prophetice, unde tribus mensibus, id est tempore patriarcharum, iudicum, et prophetarum. Istum inuenit Virgo beata, unde in Cantico: *Inueni quem dilexit anima mea*. Istum nobis presentat nutriendum cum dicit: *Accipe puerum istum* etc.

3 Accipe ipsum tanquam Dei Patris, immo totius Trinitatis encenium.⁸ Accipe cum reuerencia et graciaram actione, cum mundicia et puritate, cum diligencia et cum leticia. Accipe ipsum tanquam generis humani commercium, tanquam nostre informacionis exemplum, tanquam desolacionis⁹ solacium, tanquam nostre peregrinacionis uiaticum, tanquam nostre redempcionis precium, tanquam totius nostri laboris premium.

4 Accipe puerum istum tanquam Dei Patris, immo totius Trinitatis encenium, et ideo cum reuerencia¹⁰ <et> graciaram accione. Quod autem sit encenium patet per Ysaïam qui dicit: *Paruulus natus est nobis, et filius datus est nobis*. Si datus est, ergo est exennium.

5 Dico, primo, quod istud exennium est accipiendum cum graciaram actione si consideremus sex: si consideremus auctoritatem dantis, magnitudinem caritatis, graciositatem persone¹¹ deferentis, si doni sufficientiam et¹² bonitatem, si recipientis indigenciam et necessitatem, si <meritorum>¹³ nostrorum insufficienciam, immo prauitatem.

6 Primo, <istud exennium est accipiendum cum gratiarum actione> si consideremus donantis auctoritatem. Quis est qui dat istud exennium? Deus. Ecclesiasticus: *A Deo est omnis medela, et accipiet*¹⁴ a rege donacionem. Si rex uellet tibi donare donum magnum, esset genus ingratitude si illud recusares. Deus Pater dat tibi donum optimum, Filium suum, et ideo benigne cum graciaram actione debes eum accipere, Iacobus: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est*,¹⁵ des<c>endens a Patre luminum. Et sequitur: | 3rb| *In mansuetudine suscipite incite*<m> uerbum, quod potest saluare animas uestras. Istud est donum per quod omnia donantur, Apostolus: *Qui proprio Filio <suo> non pepercit, set pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo cum illo non omnia nobis donauit?* Et in libro Sapiencie dicitur de sapientia increata: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Dicit desursum, des<c>endens a Patre luminum. Hoc hodie impletum est quando Verbum Dei incarnatum est. Et uidete: Incarnacio aliquando dicitur des<c>ensus, aliquando assensus. Assensus, unde in Ysa.: *Assendet Dominus super nubem leuem*; et alibi: *Egredietur uirga de radice Iesse, et flos de radice eius assendet*. Des<c>ensus, ut in Ysa.: *Vtinam dis<s>rump[er]es celos, et des<c>enderes*; Ps.: *Inclina celos tuos, et des<c>ende*: non locum mutando,¹⁶ set naturam humanam as<s>umendo, et sic uisibilem <se> reddendo. Vnde ipse ad terram nostre humanitatis des<c>endit ut ad celos ascendere faceret, ad Ephesios:

⁷ tempore] teppe

⁸ encenium = excennium

⁹ desolacionis] exemplum added after and expunged

¹⁰ reuerencia] omitted and restored in the margin

¹¹ persone] perfecte

¹² et] si

¹³ meritorum] see below §11

¹⁴ accipiet] accipe

¹⁵ est] ueniens added after and expunged

¹⁶ mutando] imitando

Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes celos. Verum est quod antequam Christus ueniret per Incarnacionem, aliqua bona erant in mundo, set deerat unum, scilicet diuinitas incarnata uel¹⁷ humanata. Et quia istud bonum deerat, ideo dicit Ieremias:¹⁸ *Aspexi terram, et erat uacua [erat] et nichili.* In celo multa bona erant, set deerat humanitas, et ideo Filius Dei inclinauit se, ut terram nostre humanitatis ad celos leuaret. Et ideo istud benedictum donum debemus accipere cum graciaram actione. Et ideo dicit: in mansuetudine suscipite incitum uerbum, <id est> Verbum incarnatum. Et dicitur insitum quia humana natura tanquam stipiti¹⁹ est insyta <h>ypostasy diuine persone. Et nos inceramus istud Verbum cordibus nostris, ut possit germinare per conceptionem boni propositi, florere per honestam conuersacionem, frondere per bonam locucionem, expandere ramos per boni operis multiplicacionem.

7 Secundo, debemus istud exennium recipere cum reuerencia et graciaram actione propter magnitudinem caritatis. De ista caritate dicit Iohannes in canonica: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quia unigenitum Filium suum misit <Deus> in mundum ut uiuamus per illum.* Hodie enim ap<p>aruit benignitas et humanitas Saluatoris nostri Dei. Dicitur quod quis non potest diu celare ignem in sinu suo, quin flamma manifestet se. Sic Deus ignem caritatis sue non potuit diu abscondere, quin Filium suum mitteret. Ipse est de quo dicit Apostolus quod *diues est in misericordia.* Et uere diues, quia hodie uidetur diluuium sue misericordie ef<f>udisse. Nullus ergo desperet²⁰ de sua miseria, quia istud donum nobis ex<h>ibitum sufficit ad delendam²¹ omnem miseriam. Ille qui multum expendit de re, oportet quod sit diues. Deus uidetur multum expendisse de sua misericordia. Non dico quod sic expendet eam, sicut expenditur pecunia, quia illa diminuitur. Set ille dicitur multum expendere, qui multa donat. Sic Deus expendit suam misericordiam. Vnde dicitur de Magdalena: *Dimis<s>a sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* “O inestimabilis caritas! Vt seruuum redimeres, Filium tradidisti!” Debemus ergo ei gracias agere, Ps.: *Quid retribuam Domino, pro omnibus que retribuit michi?*

8 Tercio, accipiendus est puer iste cum graciaram actione propter graciositatem persone deferentis.²² Tunc debent gracie reddi, quando mittitur donum per graciosam personam. Istud donum nobis mittitur non per seruuum, set per Virginem. Ista fuit deferens,²³ unde dixit ei angelus Gabriel: *Ecce concipies in utero filium; et in Mattheo: Ioseph fili Dauid,*²⁴ *noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est etc.* Et Apostolus ad Gal.: *At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium <suum> factum sub lege, factum ex muliere, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adopcionem filiorum reciperemus. Misit Filium suum, scilicet ut naturam nostram assumeret, Ps.: Misit de summo, et accepit me, scilicet sibi dis[s]ponendo naturam nostram. Scribitur in III^o Regum quod carduus misit ad cedrum, que est | 3vb | in Libano, dicens: ‘Da filio meo filiam tuam in uxorem.’* Econtra possumus dicere quod

¹⁷ uel] illis

¹⁸ Ieremias] lo

¹⁹ stipiti] stipitum written, and m expunged

²⁰ desperet] dusperet

²¹ delendam] delendum

²² diferentis] differentis

²³ diferens] differens

²⁴ Dauid] dauit

cedrus Libani, id est Deus, misit nuncium suum ad carduum, Gabrielem scilicet ad Adam, qui fuit quasi carduus, dicens: 'Da filio meo filiam tuam in uxorem,' id est naturam humanam. Qui cogitaret istam dignitatem multum gauderet. Intelligamus unum principem magnum qui hereditatem suam amisit sine spe recuperandi, quantum est ex parte sui, ille sit in manibus inimicorum et incarceratus, si esset aliquis rex qui diceret tali principi: "Da filio meo filiam tuam, et ego liberabo te," quo facto, ualde ingratus esset ille nisi gratias ageret illi regi. Talis fuit Adam. Ipse enim antequam peccaret maior fuit omni principe terreno, set per peccatum amisit hereditatem, captus fuit et incarceratus, et omnes qui des<c>endebant ab eo; unde Iohannes Baptista des<c>endit ad limbum. Christus, Filius regis eterni, dis[s]ponsauit sibi filiam illius principis as<s>umendo naturam humanam. Vnde gaudere debemus et gratias agere: *Gaudeamus igitur: quia uenerunt nupcie Agni, et uxor Agni preparauit se.* Et nota quod dicit "factum ex muliere". Non dicit "natum" set *factum* ad denotandum quod ista generatio non fuit naturalis, set supernaturalis, sine uirili semine, unde cantamus in <h>ymno:

Veni redemptor omnium
Ostende partum uirginis,
Miretur omne seculum:
Talis decet partus Deum.
Non ex uirili semine,
Set mistico spiramine etc.

Et alibi cantamus: "Tu que genuisti, Natura mirante, tuum sanctum Genitorem." Sequitur: *ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Secundum quod dicunt sancti hec fuit u[a]na racio Incarnationis, scilicet ut homo fieret filius Dei per adoptionem. Scitis quod in statera sunt due partes; illa que magis ponderat, des<c>endit. Dei Filius posuit se ex una parte statere, homo ex alia. Ponderauit plus Filius Dei |4ra| quam totum genus humanum, et ideo ad terram descendit ut homines usque ad celum eleuaret. Vnde dicitur in Ioh.: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

9 Quarto, <debemus gratias agere> propter doni omnimodam sufficientiam et bonitatem. Hoc enim est maius donum, quod posset hominibus dari; unde Glossa super illud ad Ephesios, *ipsum dedit caput super omnem ecclesiam* etc.: "Maius donum non posset Deus prestare hominibus, quam quod Verbum suum faceret eis caput, et eos tanquam membra capiti coaptaret." Acephalum, id est sine capite, fuit genus humanum, et ideo multa patiebatur a demonibus sicut exercitus sine capite. Set postquam ipse uenit, habuit defensorem genus humanum, unde ipse dicit in Isa.: *Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad saluandum.* Istud caput influit membris suis sensum discretionis et motum bone operationis.

10 Quinto, <debemus gratias agere> propter suscipientium indigentiam et necessitatem. Nisi homo indigeret, donum gratum non esset. Set nos maxime dono isto indigebamus quia habuimus agendorum ignorantiam, incurrimus diuinam offensam et damnationem eternam; et ideo dicitur in Isa.: *Dedi te in lucem gentium, contra ignorantiam, et in fedus populi, contra diuinam offensam, ut sis salus mea usque*

ad extremum terre, contra damnationem. Dicit in fedus. Erat enim discordia inter Deum et homines, et inter angelos et homines, set Christus fecit pacem, unde ipse quasi uictus, reddidit se, et tunc angeli uidentes Dominum suum se reddidisse, pacificati sunt cum hominibus, cantantes: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bone uoluntatis.

11 Sexto, debemus gratias agere propter meritorum nostrorum insufficientiam, immo prauitatem. Omnes homines non meruissent redemptionem generis humani que facta est per Christum. Vnde Deus ex sua mera liberalitate hominem redemit per Filium, unde cantamus: "Redemptionem misit Dominus populo suo." Antiqui patres bene cogitabant quod oporteret genus humanum redimi, et quod homo peccauerat, et quod purus homo ipsum redimere non potuit, nec angelus, set solus Deus, qui tamen non debuit, set homo debebat, et ideo oportuit quod esset et homo et Deus. Propter hoc dicit Dauid: *Frater non redimet*, scilicet qui est purus homo, *redimet homo*, scilicet qui est Deus et homo, quia homo non potuit, Deus non debuit, set Deus et homo potuit et debuit. Vnde hic Deus seruauit simul ueritatem et misericordiam. Iustitia fuit, quod homo satisfaceret; misericordia, quod satisfactorem et redemptorem qui satisfacere posset, daret. Propter hoc dicit Psalmista: *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Rogabimus Dominum etc.*

COLLATIO²⁵

Accipe puerum istum etc.

A principio mundi Deus fecit duas naturas racio-nales: in celo angelicam, in terra humanam. Vtraque corruit²⁶ ap<p>etendo similitudinem diuinam, unde Ysa. <X>IV: *Assendam in celum etc. Similis ero Altissimo; sequitur: Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Ista natura cor<r>uit in parte, set natura humana in toto quando appeciit similitudinem diuinam, secundum quod dicitur in Gen.: *Eritis sicut dii.* Et ideo Filius Dei ex nulla parte Patri dissimilis ab eterno dis[s]posuit, ut hodie fieret puer, ut homines, qui eum uellent²⁷ imitari, recuperarent regnum a quo ceciderant. Vnde necesse <est> istum puerum imitari; ideo dicitur in Luca: *Quicumque non accipit regnum Dei ut puer, non intrabit in illud.* Quia dyabolus et homo uoluerunt illud rapere, non ut puer set ut deus, ideo cor<r>uerunt. Dicitur in Mattheo quod Ihesus sumpsit paruulum et posuit eum in medio discipulorum, et [in Mt] dixit: *Nisi conuersi fueritis, et efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum celorum.* De Christo dicit Ysaias: *Paruulus natus est*²⁸ *nobis, et filius datus est nobis.* Ipse erat Filius Regis eterni, et tamen dicitur paruulus. Si tu sis rex, si papa, oportet quod sis paruulus, aliter²⁹ non poteris intrare regnum celorum.

Accipe ergo puerum istum, qui magnus est in se, timeo tamen quod paruus sit in nobis, et forte nullus. Et si ipsum concepisti, forte non est nutritus, et si nutritus, | 4va | non est adhuc in te adultus. Ipsum concipere pertinet ad statum incipientium, nutrire ad statum proficiendum, set adultum esse ad statum perfectorum. Et hec tria

²⁵collatio] written in the margin

²⁶ corruit] corupit written and expunged, and another scribe added corruit in the margin

²⁷ uellent] uoluerunt written and expunged, and uellent added in the margin

²⁸ est] written twice

²⁹ aliter] alias

notantur hic, unde dicit quantum ad primum: *Accipe puerum istum*; quantum ad secundum: *et nutri michi*; quantum ad tertium: *et dabo tibi mercedem tuam*.

14 Dicit ergo: *Accipe puerum istum* etc. tanquam Patris celestis, immo tocius Trinitatis encenium. Et uideamus quomodo solet³⁰ homo accipere encenium. Ipse facit quatuor uel quinque: primo solet se inclinare; secundo³¹ gracias agere; tercio³² in uase mundo reponere; quarto³³ diligenter custodire; et quinto³⁴ uicem respondere. Sic et nos debemus accipere istud encenium cum reuerencia et humilitate, cum deuota graciaram actione, cum³⁵ mundicia et puritate, cum diligencia et
sol<|>i<ci>tudine, cum oportuna recompensatione.

15 Primo <debemus istud exennium accipere> cum reuerencia et humilitate. Vnde in Luca dicitur quod Zacheus, qui erat statura pusillus, assendit in arborem sycomorum ut uideret Ihesum, et Dominus uidens eum, dixit ei: *Zachee, festinans des<c>ende; quia in domo tua hodie oportet me manere. At ille festinans des<c>endit, et accepit illum gaudens in domo sua*. Sycomorus interpretatur ficus fatua, Zacheus ergo assendens³⁶ in arborem sycomorum gerit typum multorum fatuorum qui assendunt in dignitates. Iste³⁷ erat³⁸ statura pusillus, ideo assendit. Sic multi credunt se esse maiores, quia sunt in dignitatis altitudine. Hoc est fatuum, quia si essem super campanario, non essem maior. Propter hoc, dico propter illos qui se mesurant secundum dignitates uel gratiam aliquam quam ipsi habent, cum tamen ista³⁹ habeant a Deo, Apostolus: *Quid habes quod non recepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Si rex inclinaret⁴⁰ se, et ego non uellem inclinare, magna esset confusio. Christus se exinaniuit. Zachee ergo festinans des<c>ende, aliter non manebo in domo tua. Et sequitur ibi quod *des<c>endit, et accepit illum gaudens in domo sua*, et ideo meruit audire: *Salus domui huic facta <est>*.

16 Secundo debemus istud donum |4vb| accip<er>e cum graciaram actione. Exemplum habemus in Symeone, unde in Luca: *Cum inducerent puerum Ihesum* etc., sequitur: *Accepit Symeon eum in ulnas suas, et benedixit eum*,⁴¹ dicens: *'Nunc dimittis seruum tuum'* etc. Debemus ipsum benedicere corde, ore et opere, sicut fecit iste. Apostolus: *Empti estis precio magno. Portate et glorificate Deum in cordibus uestris*. Ps.: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomen*⁴² *tuum, sic et laus tua*.

17 Tercio debemus ipsum reponere in uase mundo. Exemplum habemus in beata Virgine, unde et ipsa dicebat: *Suscepit Israel puerum suum* etc. Israel interpretatur uir uidens Deum. Et qui sunt qui uident Deum nisi mundi? *Beati enim mundo corde: quoniam ipsi Deum uidebunt*. Propter hoc dicit Iacob<us>: *Abicientes omnem inmundiciam. Emundate manus, peccatores. Omnem inmundiciam, scilicet cordis, oris et*

³⁰ solet] solus written and expunged, and solet is added in the margin

³¹ secundo] et

³² tercio] secundo

³³ quarto] tercio

³⁴ quinto] quarto

³⁵ cum] omitted and added in the margin

³⁶ assendens] omitted and added in the margin

³⁷ iste] ista

³⁸ erat] enim

³⁹ ista] omitted and added in the margin

⁴⁰ inclinaret] tridinare written, and corrected in the margin

⁴¹ cum] Vlg. reads deum

⁴² secundum nomen] sermonem written and expunged, and secundum nomen added in the margin

operis. Cordis,⁴³ quia *ex habundancia cordis*⁴⁴ *os loquitur*. Multi sunt qui non sunt⁴⁵ cauti in confessione ut abiciant omnem inmundiciam, quia tantum abiciunt inmundiciam operis. Si homo fecerit fornicacionem, constat quod forte multa uerba ociosa protulit prius, multas habuit malas cogitaciones et delectaciones de quibus nullam facit men[s]<t>ionem. Abiciamus ergo omnem inmundiciam. Sequitur: *Recordatus misericordie sue*. Dauid⁴⁶ erat promissus Filius Dei, set uidebatur Deus quasi oblitus promi[s]>ionis sue: *Vbi sunt misericordie tue, Domine, antike, quas iurasti Dauid seruo tuo? Memorare que mea substantia; numquid [non] uane constituisti omnes filios hominum?* Set hodie recordatus est Deus misericordie sue, quando nobis dedit⁴⁷ Filium suum sicut promiserat patribus antiquis, unde dicit: *Sicut locutus est ad patres nostros* etc. Et in Cantico Zacharie: *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham* etc.

18 Quarto istud exennium est accipiendum cum diligencia et sol<l>icitudine. Exemplum habemus in Martha, de qua dicitur in Luca: *Intrauit Ihesus in quoddam castellum: mulier quedam nomine Martha ac|5ra|cepit eum in domum suam*. Et dicitur ibi quod *Martha satagebat circa frequens ministerium*. Satagebat, id est satis agebat, scilicet sufficienter et diligenter eum custodiendo. Iste puer requiretur a nobis, unde dicitur in Gen.: *Suscipiam puerum: de manu mea require eum*. Si regina Francie committeret puerum suum nutrici, illa sol<l>icite illum nutrirer quia bene sciret quod regina requireret quomodo puer nutritus esset. Nutriamus puerum istum sicut Noemi, que interpretatur pulcra, unde dicitur in Ruth de ipsa: *Susceptum Noemi puerum posuit in sinu suo, et gerule atque nutricis officio fungebatur*. Debemus istum puerum conseruare in pulcritudine consciencie, quod intelligitur per Noemi, et ponere in sinu, id est in caritatis feruore, et nutrire in bona operatione, et fungi officio gerule in aliorum defectuum supportacione.

19 Quinto debemus istud⁴⁸ donum recipere cum oportuna recompensacione, iuxta illud Ecclesiastici: *Non sit manus tua ad accipiendum por<r>ecta, et ad dandum collecta*.⁴⁹ Vnde idem Ecclesiasticus: *In diuisione sortis, da et accipe*. Accepisti a Deo, da pauperibus pro Deo. Et si non habes aliquid, saltem redde gracias; unde dicitur: *Accipe bonum; et reddemus uitulos laborum nostrorum*. Istud ergo est primum quod pertinet ad statum incipientium.

20 Sequitur: *et nutri michi*. Hoc pertinet ad statum proficiencium. In isto statu sunt prelati; ipsi enim debent⁵⁰ alios nutrire tanquam filios, unde dixit Apostolus ad Gal.: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis*. Isti sunt de quibus dicit Ysaias: *Erunt reges nutricii tui, et regine nutrices tue*. Prelati sunt reges qui debent⁵¹ alios nutrire diligendo, dis[s]<c>iplinando, instruendo et lactando. Lac primo est sanguis, deinde sanguis conuertitur in lac. Et ubi? Certe in mamilla, non in pede uel in capite. Vnde et ipsi prelati debent habere lac, quia eorum seueritas debet mutari in mansuetudinem. Non debent esse sicut fere, que nutriunt fetus suos sanguine. Istud

⁴³ cordis] omitted and added in the margin

⁴⁴ cordis] omitted and added in the margin

⁴⁵ qui non sunt] omitted and added in the margin

⁴⁶ dauid] davit

⁴⁷ dedit] dicit

⁴⁸ istud] istum

⁴⁹ collecta] tollata written and expunged, and collecta added in the margin

⁵⁰ debent] dicunt written and expunged, and debent added in the margin

⁵¹ debent] dicunt written and expunged, and debent added in the margin

lac mansuetudinis debet esse in mamilla, id est in |5rb| prelatis et doctoribus, et si non, sit in pedibus, id est in rudibus uel in capite, id est in principibus et regibus.

21 Et nota quod sicut nutrimentum uirtute caloris naturalis conuertit cibum in cibantem, auget quantum, restaurat de[s]perditum, conseruat restauratum, sic in spirituali refeccione conuertendi uirtus consistit in gracia uel caritate, et sine hiis non potest fieri. Sicut enim uirtus nutriendi consistit in humido⁵² radicali, sic spiritualiter in radice caritatis seu gracie, unde dicitur in libro Sapiencie: *Nutrici gracie tue omnia deseruiunt*. Vnde si homo habeat caritatem, *omnia ei cooperantur in bonum*, ut dicit Apostolus, et Glossa, "etiam peccata mortalia." Et Dominus uocat se nutricium, dicens: *Ego nutricius Effraym*, quod interpretatur frugifer, et signat diuites quos Dominus nutrit, et tamen hoc non recognos[s]cunt, et ideo sequitur: *Et nes[s]c<c>ierunt quod curarem eos*.

22 Secundo auget quantum bona operatio superaddita, ideo dicit Dominus in Leuitico: *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutrit sacerdos subiciens ligna per singulos dies*. Per 'ligna' intelliguntur bona opera uel beneficia nobis a Christo ex<h>ibita, sicut eius natiuitas, baptisma, circumcisio, presentacio eius in templo, et huius<modi>.

23 Tercio restaurat deperditum penitencia, unde in Gen.: *Adhuc tres dies <sunt>: post quos recordabitur Pharaon ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum*. Tres dies contritio, confessio, satisfaccio. Post istos tres dies redit homo ad pristinam refectionem. In libro Sapiencie: *Angelorum esca nutr<iu>isti populum tuum. Hodie cibus angelorum factus est <esca> iumentorum, id est hominum, de quibus Ps.: Homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Hodie, dico, factus est esca eorum quando reclinatus est in presepio.

24 Vltimo finalis perseuerancia restaurata conseruat, et tunc homo mercedem recipit, et hoc est quod dicitur hic: *Nutri michi: et dabo tibi mercedem tuam, illam scilicet: Ego sum merces tua magna nimis, quam*⁵³ *nobis prestare dignetur etc.*

⁵² humido] heudo (?)

⁵³ quam] written twice

<SERMO 4A>¹

<Sermo in festo sancti Stephani protomartyris>

De sancto stephano fratris Guillermi de Lissi

<S>tephanus plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

1 *Exalta in fortitudine uocem tuam, qui ewangelizas Iherusalem.* Verba ultima sunt Ysaie. In quibus Dominus primo <hortatur> predicatorem uerbi² Dei ad efficacem uerbi propositionem, ibi: *Exalta in fortitudine uocem tuam*; secundo addit exhortationis efficacis rationem, ibi: *qui ewangelizas Iherusalem*. Aduertamus [aduertam] ad rationem istam, et postea³ procedamus ad primum. Dicit: *qui ewangelizas Iherusalem*, scilicet quod interpretatur uisio pacis. Dicit: *qui ewangelizas Iherusalem*, id est qui annuntias salutem Ecclesie militanti,⁴ quia ewangelizare est bonum nuntiare. Attendamus officium ewangeliste et predicatoris, quia a Deo mittitur, et pro quo mittitur, quia pro salute humana, et ad quam personam mittitur, <quia> ad Ecclesiam, et uidebimus quod ratione Dei mittentis, et ratione nostre salutis pro qua mittitur, et ratione Ecclesie ad quam mittitur, requiritur prerogatiua in predatore. Et pro persona predicatoris dicit: *Exalta in fortitudine uocem tuam* etc. Debet autem pre | 74vb | dicator tripliciter uocem suam exaltare: primo in priuilegio conuersationis, secundo in experientia contemplationis, et tertio in libertate correptionis.⁵

2 De primo dicit Ysaia: *Super montem excelsum*, id est super eminentiam conuersationis, ascende, tu qui ewangelizas Syon; quasi tubo exalta uocem tuam. Tuba habet duplex foramen: unum strictius, quod ori contingit; aliud largius, quod hominibus applicatur. Set si quis foramen latius ori contingeret, non prouocaret⁶ homines ad pugnam set ad derisionem. Sic qui penitentiam strictam aliis proponit et ipsum non facit, derisor est. Est sicut clamator qui in alto clamat: “Alletia bona sunt,” <set> interius dicit: “Fetentia sunt.” Sic penitentiam aliis nuntiare et ipsam impugnare est idem dicere et negare.

3 Secundo debet predicator habere experientiam contemplationis, Ps.: *Accedet homo ad cor altum; et exaltabitur Deus*; et in Ecclesiastico: *Benedicentes Deum, exaltate⁷ eum quantum potestis; melior est enim omni laude.*

4 Tertio predicator debet habere ausum libertatis in correptione,⁸ unde Ysa.: *Exalta, noli timere.* Debet homo habere ausum libertatis, ita quod audeat pro predicatione ueritatis mori. Et quia habeo defectum in istis tribus, ideo in principio rogabimus etc.

<S>tephanus plenus gratia etc.

5 Verba ista sunt in Actu, et leguntur hodie in Ecclesia ad commendationem

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Soissons, Bibl. Municipale 125, ff. 74va-79va. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 477, nos. 8 and 9; TH. KAEPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 110, n. 1539.

² uerbi] uerba

³ postea] pro ea

⁴ militanti] triumphanti

⁵ correptionis] corruptionis

⁶ prouocaret] prouocari

⁷ exaltate] exaltare

⁸ correptione] corruptione

[istius] prothomartiris istius gloriosi. Prelibandum ergo primo quod sicut Deus, omnium gubernator et rector, solem, lunam et stellas congruentissimo ordine collocavit in celo uisibili, ita sollempnitates istorum sanctorum, Stephani, Iohannis et Innocentium, congruentissimo ordine collocavit in Ecclesia. Et quamuis illud nostram con|75ra|stringit latrie industriam, tamen non sine misterio ista tria festa coniuncta sunt sollempnitati natiuitatis dominice.

6 Filius Dei sicut Sol eterna uenit expugnare dyabolum. Voluit hinc adiutores habere ut ipsos honoraret, licet ipse per se sufficeret. Dyabolus impugnavit prius hominem per uiolentiam tyrannorum; secundo per fraudulentiam hereticorum; et tertio per simulatam et per falsam innocentiam ypocritarum. Et contra istos tres impugnatores Dei Filius tres exercitus produxit: primo exercitus martirum contra rabiem et uiolentiam tyrannorum; secundus exercitus est doctorum sapientum contra falsitatem errorum <hereticorum>; et tertio <exercitus innocentum contra falsam> sanctitatem hypocritarum. Et leguntur illi tres exercitus sequi Dominum, unde in Apoc.: *Exercitus qui sunt in celum, sequeba<n>tur ipsum*. Vnde Dominus lib<er>aturus Ecclesiam uoluit sibi iungi beatum Stephanum primo, qui primus post ipsum per martirium triumphauit; secundo beatum Iohannem, cuius doctrina Ecclesiam illuminauit; et tertio⁹ Innocentes, qui ducatum¹⁰ omnium innocentum prebent, unde cantatur in Ecclesia: “Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.”

7 Dyabolus hominem deuicit primo ut auferret ei potentiam et quandam immortalitatem <et reduxit eum in fragilitatem>; secundo, abstulit ei sapientiam et reduxit eum in fatuitatem; <tertio, abstulit ei felicitatem et> [gratie] reduxit in miseriam penalitatis humane. Venit Dei Filius <et> inuenit contra ista tria <ablata> remedium. †Et docet triumphare contra tyrannorum malignitatem.† Inuenit arc<h>iuum, scilicet doctrinam sapientum doctorum contra <falsitatem> hereticorum errorum et nostram fatuitatem. †Inuenit bonum usum nostre penalitatis, et docuit bono usu eorum acquirere innocentiam istius.† Tribus istis modis docuit Dei Filius triumphare contra dyabolum, et ideo uoluit sibi sollempnitates |75rb| sanctorum copulare, qui istis tribus modis specialiter consueuerunt contra dyabolum triumphare.

8 Item, qui testificantur de Christo. Alii uincunt in uita et in morte, <ut> beatus Stephanus, qui testis fuit Christi in uita, id est in conuersatione. <Alii uincunt in uita>, non in morte, ut beatus Iohannes, qui testis fuit <Christi> in conuersatione, set mortuus est in pace. Alii uincunt in morte, non in uita,¹¹ ut sancti Innocentes. Hoc dico propter hoc quod aliqui dicebant quod displicebat eis quod festa sanctorum agerentur infra octauas Natiuitatis. Et isti sapientiores esse¹² uolunt Spiritu sancto!

9 <Stephanus plenus gratia et fortitudine etc.> Dico quod in uerbis istis commendatur <beatus Stephanus> quadrupliciter, quia omnis perfectio in uita est ista aut perfectio est status, aut perfectio habitus, aut perfectio operum, aut perfectio signorum. A perfectione status commendatur nomine Stephani; a

⁹ et tertio] written twice

¹⁰ ducatum] ducatum

¹¹ uita] morte added and expunged, and uita written above the line

¹² esse] enim

perfectione habitus cum dicit: *plenus gratie*; a perfectione operum cum dicit: *et fortitudine* (uerum est quod fortitudo est habitus, set hic sonat in usum gratie); a perfectione signorum commendatur cum dicit: *faciebat prodigia et signa magna multa in populo*.

10 Primo dico: commendatur beatus Stephanus, quia “Stephanus” triplicem habet interpretationem: interpretatur ‘corona,’ ‘forma’ uel ‘norma’. Secundum hoc commendatur quasi priuilegiatus dux trium statuum Ecclesie: inquantum interpretatur ‘corona’ commendatur ut nobilis dux milicie martirum; inquantum interpretatur ‘forma’ commendatur ut nobilis dux generis prelatorum; inquantum interpretatur ‘norma’ commendatur ut nobilis dux exercitus religiosorum siue contemplatiuorum.

11 Primo dico: beatus Stephanus commendatur ut nobilis dux milicie martirum inquantum interpretatur ‘corona’. Vnde Glossa: “Stephanus Grece, id est |75va| corona Latine. <Qui> quod enim obtempturus erat <in re>, presagio nominis preoccupabat.” Et uere dicitur corona quia primus post Christum coronatus est etiam martirio. Vnde in Actu: *Eicientes*¹³ *eum extra ciuitatem: testes deposuerunt uestes suas et posuerunt eas secus pedes adolescentis qui uocabatur Saulus. Et lapidaba*<n>*t eum, inuocantem, et dicentem: ‘Domine, suscipe spiritum meum.’* Dicit Glossa: “Hoc proprium nomen ponitur ut ratio nominis aperiat.” Stephanus igitur, id est corona.

12 Set que est ista corona? Dicitur in Ps.: *Preuenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. Item Ps.: *Gloria et honore coronasti eum, Domine*. Set que sunt benedictiones Dei? Dico quod Deus solo Verbo facit quod uult: *Dixit, et facta sunt*. Vnde dictio dicitur Verbi est product<i>o naturalium, set benedictio¹⁴ Verbi est infusio gratiarum. Dicit: *coronam de lapide pretioso*, et iuste, quia lapidatus erat pro fide Christi, ideo debuit habere coronam de lapide pretioso, scilicet de lapide [de] angulari Christo Domino, unde in Ysa.: *Erit Dominus exercituum corona glorie residuo populi sui*. Set quare premium sanctorum? Si ergo per coronam dico quod corona est ornamentum capitis, et beatitudo nichil aliud est nisi inspeccio eterne ueritatis in fonte totius bonitatis, cuius inspectio tante est uirtutis quod ab anima redundat in corpus, et mediante capite hauritur ista gloria, et caput imponitur corona, ideo premium sanctorum per coronam significatur.

13 Set quare dicit gloria et honore coronasti eum, Domine? Dico quod gloria dicit motum ab intra ad¹⁵ extra, honor uero dicit motum ab extra ad intra, quia honor est in honorante, non in honorato. Et |75vb| quia Deus in corde beatorum est sicut gloria interius, et sicut honorans eos exterius, ideo dicit: *gloria et honore coronasti eum, Domine*. Felicitas igitur illa, quam beatus Stephanus dux martyrum consecutus est, nomine corone signatur.

14 Dicitur: *Eicierunt eum extra ciuitatem, testes deposuerunt uestes suas, et lapidauerunt eum*. Omnis iniuria, que infertur homini aut est in fama, sicut iniuria detractorum, aut in substantia, sicut raptorum, aut in persona sua, sicut infertur iniuria [aut] ab interfecto. Omnes iniurias istas sustinuit beatus Stephanus, quia infamatus est, unde dicit: *ieicerunt eum extra ciuitatem*, scilicet tamquam infamem. Sustinuit iniurias in substantia quia uestibus spoliatus est, unde dicit: *testes deposuerunt uestes suas*. Item

¹³ eicientes] eicientem

¹⁴ benedictio] bene dicitur

¹⁵ ad] ab

sustinuit iniurias in persona sua, quia lapidatus est, unde dicit: *lapidauerunt eum*. Igitur et nos iniurias impiorum et detractorum patienter sustineamus. Detractor obligat se quasi ad impossibile, quia denigrat famam hominis, quam uix uel nu<m>quam potest homo recuperare nisi remaneat aliqua macula. Propter ista merito debuit beatus Stephanus coronari.

15 Item attendamus causas martirii in sanctis. Alii pro reprehensione iniquitatis passi sunt, sicut Iohannes Baptista, alii pro defensione ueritatis fidei, set pro utraque causa beatus Stephanus est interfectus. Reprehendit Iudeos, dicens: *Dura ceruice, et incircumcisis auribus, uos et patres uestri semper Spiritu sancto resistitis*.¹⁶ Item pro defensione ueritatis mortuus est. Item stella propinquissima soli¹⁷ magis assimilatur soli. Et beatus Stephanus in passione sua maxime assi|76ra|mulatur Christo, quia Christus¹⁸ extra ciuitatem passus est, similiter beatus Stephanus; Christus uestibus nudatus, similiter Stephanus; Christus moriens orauit pro inimicis, similiter Stephanus dicens: *Ne statuas illis [hoc], Domine, hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt*. Christus moriens dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; et beatus Stephanus dixit in morte: *Domine, suscipe spiritum meum*. Iuste igitur [gloria] Stephanus commendatur ut nobilis dux status martirum, quod interpretatur corona.

16 Secundo, quia <Stephanus> interpretatur ‘forma’ commendatur ut nobilis dux alterius milicie Ecclesie, que est status prelatorum. De hac: *Forma facti gregis ex anima*. Forme iste in multis sunt cor<r>umpite, et sunt sicut forme Platonice separate a materia, <ita> sunt multi <prelati> separati a grege suo. De conditione istius forme dicitur in Actu: *Dixerunt Apostoli conuocata multitudo: ‘Considerate ex uobis uiros boni testimonii, plenos Spiritu sancto, et sapientia,’* quorum uirtus fit necessario a sapientia, ‘*quos constituamus*’¹⁹ *super populum*. Sequitur: *Et <e>legerunt Stephanum, <uirum plenum> fide et Spiritu sancto*. Dicit Glossa: “Consensus requiritur multitudinis, et hoc trahi debet in exemplum.” Et alibi dicit Glossa: “Hic ordo in electionibus est seruandus; eligat populus, ordinet episcopus.” Ergo uidetur modo ecclesiastica ierarchia peruersa,²⁰ quia non seruatur iste ordo. Dico quod non est sic intelligendum, quia non expediret quod populus eligeret, quia populus seductilis est. Et quando ignorantes et infamati²¹ preficiuntur in Ecclesia, tunc spernitur forma apostolorum. Dicit *considerate ex uobis*, quia non debet poni extraneus si sufficiat domesticus. Set non debet eli|76rb|gere ex suis, nisi alia consequantur, que dicuntur in Actu, aliter²² contingit abusus. Volunt aliqui ex seipsis eligere. Cum nullus est sufficiens eligunt insufficientem, qui tantum <curat> pro ecclesia sua, quod remanet in debitis, et ille miser uadit per mundum. Set beatus Stephanus recte fuit electus.

17 Tercio, beatus Stephanus commendatur ut nobilis miles <exercitus> contemplatiuorum inquantum sequitur norma uel regula. Vnde dicitur de ipso in Actu: *Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in celum, uidit gloriam Dei, et Ihesum stantem a dextris uirtutis Dei. Et ait: ‘Ecce uideo celos apertos.’* Omnes clerici suo <modo> sunt contemplatiui; omnes nos sumus studio dediti. Et primum ad quod an<h>elare debemus est perfectio gratie et uirtutis, quod notatur cum dicit: *Cum*

¹⁶ resistitis| rescutus (!)

¹⁷ soli| solo

¹⁸ Christus| written twice

¹⁹ constituamus| constituitur

²⁰ peruersa| peruisa

²¹ infamati| infamari

²² aliter| ar (!)

esset *Stephanus plenus Spiritu sancto*; secundum est perfectio illuminationis scientialis, <quod> notatur cum dicit: *intendens in celum, uidit gloriam Dei* etc.; tertium est exercitium doctrine et predicationis, quod notatur cum dicit: *Et ait: 'Ecce uideo celos apertos'* etc. Set aliqui [set] prius uolunt docere et predicare quam sint illuminati, et sic numquam proficiunt.

18 Set de Stephano dicitur erat intendens in celum. Dupliciter debemus intendere in celum, scilicet per orationem <et> contemplationem. Beatus Stephanus potentissimus fuit in oratione sua pro Ecclesia. De maximo persecutore impetrauit fieri maximum predicatorem, unde Augustinus: “Si Stephanus martir non orasset,²³ Ecclesia Paulum non haberet.” Set ego sum attonitus. Et uidetur michi quod ira Dei sit super Ecclesiam. Vel nos clerici et religiosi non oramus Deum pro Ecclesia sicut debemus, uel sumus indigni quia Deus non exaudit nos, quia legimus quod *Helyas*, | 76va | <homo> *similis nobis, orauit Dominum quod non plueret per tres annos, et non pluit; orauit <ut> plueret, et pluit.* Et Moyses legis <lator> orauit contra Amalech,²⁴ et in oratione sua manus ad Deum leuauit, et plus fecit quam omnes pugnatore cum gladio. †Videmus occasionem impugnari in ciuitatibus et aliis.† Et dicitur: “Cui caput infirmum, cetera membra dolent.” Quid igitur quando non est caput et nos non oramus uel tepide oramus? Detrahimus electoribus, tamen scribitur: *Diis non detrahes.* Imputemus peccatis nostris, in ipsis, quod caput non habemus.

19 Item debemus intendere in celum per contemplationem. Set multi as[s]piciunt non ad celum, set ad scientias lucratiuas, ut legiste. Alii aspiciunt ad infernum, ut theologi, qui, dimissis libris sanctorum, inspiciunt in libris damnatorum et alios conuertunt ad inspectionem librorum philosophorum, in quibus etsi sint multe ueritates, tamen cum hiis sunt ibi falsitates. Cogito triplex genus doctrine esse confusum: attendo²⁵ philosophos theologizantes, theologos philosophantes et canonistas litigantes. Solebat Ecclesia gubernari per canones in tranquillitate; hodie aduocati mali per leges suas uexant Ecclesiam plus fere quam omnes heretici. Dicunt aliqui: “Non possumus scire canones sine legibus.” Set melior esset illa ignorantia quam euenire tot mala per illa pauca bona. Philosophi ubicumque ascenderunt ad diuina errauerunt. Voco theologos philosophantes, non qui libros naturales inspiciunt, quia debent eos²⁶ uidere, et si inueniant in eis uerum, debent illud accipere tamquam suum, set illi | 76vb | dico philosophantes qui alios retrahunt a libris sanctorum, conuertunt ad scientiam philosophicam.²⁷ Isti sunt tres spiritus immundi de quibus dicitur in Apoc.

20 Commendatur beatus Stephanus igitur a perfectione status triplicis, scilicet martirum, prelatorum, <et contemplatiuorum> in hoc quod dicitur Stephanus.

21 Secundo commendatur a perfectione habitus cum dicit: *plenus gratia*. Non est dignum quin ille qui omnes ditat²⁸ [!] gratia, uberius implore<t> [!] gratia illum per quem [!] aliis gratia impetratur quam alios. Iste beatus Stephanus [qui] plenus fuit gratia. Si loquamur de gratia gratis data, [sicut test genus signorum sicut] plenus fuit gratia. Si sic loquamur de gratia corporali, plenus fuit gratia, unde in Actu: *Intuentes*

²³ orasset] esset

²⁴ Amalech] manuchitas (?)

²⁵ attendo] accendo

²⁶ eos] eas

²⁷ philosophicam] philosophorum

²⁸ ditat] dicat; from ditat to date words are missing, making this stretch of the text difficult to fully understand

eum omnes qui erant in consilio, uiderunt faciem eius quasi angeli. Ista gratia est fallax gratia, et uana pulcritudo. Similiter gratie gratis date [!], ut gratia signorum, uerborum et huiusmodi, quandoque sunt occasio damnationis. Set beatus Stephanus plenus fuit gratia gratum faciente, et habuit gratiam purgantem, illuminantem et consummantem.

22 Primo dico: plenus fuit gratia purgante per penitentiam et uite innocentiam, ut possit ei adaptari illud Cantici <Canticorum>: *Manus tue tornatiles, auree,*²⁹ *plene iacinctis.* Dicit ‘tornatiles,’ id est cum torno facte, quia †carent angulori impingente†, ‘auree,’ per caritatem, ‘plene iacinctis’: iacinctus recipit immutationem coloris cum immutatione celi; sic uir iustus debet dolere cum dolentibus <et> gaudere cum gaudentibus. Vel dicendum manus tue tornatiles propter innocentiam ad proximum, auree per correptionem³⁰ ad seipsum quia aurum purissimum est inter metalla, plene iacinctis, perfectione obediunt. Item dicitur, Canticus: *Manus,* id est operationes, |77ra| *distillauerunt mirram primam, et digiti eius pleni sunt mirra probatissima.* Mirra amara est gustui, suavis odoratui et aduersa putredini, unde signat asperitatem penitentiae in beato Stephano, honestatem conuersationis bone et pietatem innocentie. Non est Petrus arguendus si non fuit uirgo, set est Deus laudandus³¹ si alios conseruauit, ut haberent integritatem uirginitatis. Dicit *manus eius,* id est Ecclesie prelati, qui habent alios ad bonum mouere sicut manus mouet ad opus, *pleni sunt mirra probatissima,* scilicet amara gustui per asperitatem penitentiae, suavis odoratui per prelibationem eternorum et est aduersa putredini, de qua dicitur: *Conputruerunt ut [in] iumenta in st<er>core suo.* Et dicit Gregorius: “Iumenta in stercore suo computrescere est homines luxuriosos in luto luxurie uitam finire.” Dicit *distillauerunt mirram:* quando manus est plena, tunc distillat, sicut quando tota conuersatio nostra est penitentia, tunc manus [non] plena est mirra et distillat mirratam, quando alios exemplo suo ad penitentiam trahit. Et digiti eius pleni sunt mirra probatissima. Per digitos signatur distinctio operum. Debent digiti esse pleni mirra, id est penitentia, ut consideres in quibus Deum offendisti³² <et> in omnibus te punias – hoc est mirram habere in digitis. Dicit *mirra probatissima:* omni tempore probata est penitentia, ut est probata penitentia senum, probatior est penitentia iuuenum, set probatissima est penitentia illorum qui alios exemplo suo conuertunt ad penitentiam ratione gratie pur|77rb|gatiue. Dicitur beatus Stephanus plenus Spiritu sancto, unde in Actu: *Considerate*³³ *ex uobis uiros, plenos Spiritu sancto et sapientia.* Sequitur: *Elegerunt Stephanum, plenum fide, et Spiritu sancto.* Nomina<t> igitur gratia<m> beati Stephani per Spiritum sanctum quantum ad gratiam purgatiuam, qui specialiter abhorret peccatum carnis, unde in Gen.: *Non permanebit spiritus meus cum homine, quia caro est.*

23 Secundo, fuit beatus Stephanus plenus gratia [et] illuminante per plenitudinem fidei, unde in Actu: *Elegerunt Stephanum, plenum fide.* Fides totum <animum> implet: in rationabilem ueritate, irascibilem magnanimitate, et concupiscibilem utilitate.³⁴

²⁹ aurec] aureo

³⁰ correptionem] corruptionem

³¹ laudandus] laudando

³² offendisti] ostendisti

³³ con-] written twice

³⁴ utilitate] perhaps it should read uirtute with Sermon 4B, paragraph 22

24 Implet intellectum practicum et speculatiuum <ueritate>. Diuina non possumus cognoscere recipiendo ea in se, quia oculi nostri sunt sicut oculi noctue. Quomodo igitur intelligimus? Certe fide, quia dicit Apostolus quod *fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Set quia speramus certe *que oculus non uidit, nec auris audiuit*, et scientia ista intrat per oculum aut per auditum, set non scientia diuinorum, quomodo ergo habetur? Certe per fidem. Ponas igitur fidem in corde tuo, et erit tibi argumentum rerum non apparentium, set diuinorum que speramus. In scientiis inferioribus argumentum notificat conclusionem; similiter in diuinis fides notificat ueritatem. Fides igitur replet rationalem ueritate.

25 Item plenitudo fidei replet concupiscibilem utilitate.³⁵ *Fides*, dico, *que per dilectionem operatur*. Alia est fides in corde peccatorum et in corde iusti. Sicut differt lumen solis a lumine lune (lumen solis calida est, non lumen lune), sic fides iusti calida est per caritatis feruore<m>.

26 Et ista <replet> in irascibilem mag[77va|nanimitate[m], non fides peccatorum, que non feruet igne caritatis. De ista dicit Dominus: *Quid estis timidi, modice fidei?* Set de fide iusti dicitur in canonica Iohannis: *Hec est uictoria que uincit mundum, fides nostra*. Et in Mattheo: *Si habueritis fidem, sicut granum synapis, et dixeritis monti huic: Transi, et transibit, et nichil impossibile <erit> uobis*. Granum synapis modicum est in quantitate, set calidum in uirtute. Sic fides parua debet esse calida per bonam operationem. Rogabimus etc.

COLLATIO

<S>tephanus plenus gratia etc.

27 Sicut tactum est hodie gloriosus iste martir Stephanus commendatur hic a quatuor: primo a perfectione status; secundo a perfectione habitus; tertio a perfectione operum; et quarto a perfectione signorum. Dictum etiam fuit quod in nomine Stephani commendatur beatus Stephanus tripliciter, quia Stephanus interpretatur corona,³⁶ forma et norma. In quantum interpretatur corona commendatur ut dux Christiane milicie [inter] quantum ad statum martyrum; in quantum interpretatur 'forma' commendatur ut dux Christiane milicie quantum ad statum prelatorum; in quantum interpretatur 'norma' commendatur ut dux Christiane milicie quantum ad statum contemplatiuorum. Dictum etiam fuit quod in quantum dicitur 'plenus gratia' commendatur a perfectione habitus quantum ad triplicem gradum gratie, scilicet quantum ad gratiam purgantem, secundo quantum ad gratiam illuminantem, et tertio quantum ad gratiam consummantem. Dictum est de perfectione purgantis gratie, que est penitentie habitus,³⁷ etiam de perfectione gratie illuminantis, que est sapientie.

28 Dicendum est de perfectione gratie consummantis, de qua commendatur cum dicit: *plenus gratia et Spiritu sancto*, quantum ad caritatem, de [77vb] qua dicit Apostolus: *Plenitudo legis est dilectio*, quia omnia <consilia> ad dilectionem ordinantur; quia dedit Christus consilium paupertatis nisi propter caritatem

³⁵ utilitate] magnanimitate; but perhaps it should read uirtute uel bonitate with Sermon 4B, paragraphs 22.

³⁶ corona] corono

³⁷ habitus] habitum

fouendam, quia qui terrenis afficiunt eis implicantur et caritatis obliuiscuntur. Vnde Bernardus: “Hec est potissima ratio fugiendarum rerum temporalium: quia facile adheret cor humanum rebus que pertractat.” *Plenitudo legis est dilectio*. Hac caritate feruisse uidetur amator³⁸ aduersariorum Stephanus quando dixit: *Viri fratres et patres, audite*. Glossa: “Memor fuit precepti diuini,” quo dicitur: *Diligite inimicos, id est ora pro persequentibus et calumniantibus uos*, <quia> “aduersariis denuntiat uirtutem.”

29 Item <pro> aduersariis orauit <et> peccata eorum excusauit in quantum potuit, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt*. Hoc est maximum <consilium>, scilicet excusare peccatum alterius, et hoc facit caritas, unde beatus Petrus: *Caritas operit multitudinem peccatorum*. Caritas uult attenuare peccatum quantum potest, et ideo dicitur peccatum operire. Beatus Stephanus plenus fuit gratia consummante,³⁹ quia orans pro se stetit, flexis autem⁴⁰ genibus orauit pro aduersariis. Glossa: “Vbi maior fuit iniquitas et fortius requirebatur remedium.” Et ideo flexis genibus pro aduersariis orauit.

30 Patet modo qualiter commendatur a perfectione habitus cum dicit: *plenus gratia*, quantum ad triplicem gradum gratie, scilicet gratie purgantis, illuminantis et consummantis.

31 Transeamus ad eius fortitudinem, ubi commendatur a perfectione actuum uel operum. Set in quo declaratur eius fortitudo? Dico quod fortitudo hominis declaratur tripliciter, scilicet per comparisonem ad [78ra] superiora, per comparisonem ad interiora, et per comparisonem ad exteriora. Hiis tribus modis fortis fuit beatus Stephanus. Primo per comparisonem ad superiora, et hoc dupliciter, scilicet impetrando gratiam et accipiendo sapientiam.

32 Primo dico: fuit fortis per comparisonem ad superiora impetrando gratiam, unde conuenit ei illud Osee: *In fortitudine sua directus⁴¹ est cum angelo. Et inualuit ad angelum, <et> confortatus est; fleuit et orauit*. Tangit hystoriam, que est in Genesi, de Iacob, qui luctabatur cum angelo donec obtineret benedictionem. Et apparuit ei Dominus in specie angeli <et dixit ei>: *Si contra Deum fortis fuisti, <quanto magis> contra homines preualebis?* Set defectus misericordie et eneruatio cordium nostrorum est quod non impetramus nobis et aliis plenitudinem gratie. Vnde in Genesi: Dixit Dominus Moysi: *Dimitte me, ut irascatur furor meus aduersus populum istum, et deleam eum, et crescere te faciam in gentem magnam*. Super illud, Dimitte me, dicit Gregorius: “Dimittere est petendi⁴² ausum prebere.” Magna potentia creature humane est impetrando gratiam per orationem, quia habemus misericordissimum Patrem qui libenter nos exaudit. Propter hoc semper orare debemus, unde Ysa.: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis donec stabiliat et ponat Iherusalem laudem in terra*, id est regnum celi, quia *regnum celi uim patitur magne*. Igitur potestatis fuit impetrando gratiam persecutoribus suis, sicut dictum est.

33 Item inferimus uiolentiam acquirendo sapientiam, unde in [78rb] Prou.: *Manus fortium diuicias parat: diuicie salutis sapientie et scientie*. Et in Ecclesiastico dicitur: *Colluctata est anima mea cum illa*. Ingeniosi sunt presumptuosi frequenter et nihil

³⁸ amator] amatorum

³⁹ consummante] consummare

⁴⁰ autem] ante

⁴¹ directus] delectus

⁴² petendi] puniendi

proficiunt, quia: “Non ualet ingenium sine studio.” Vnde in Ecclesiastico: *Sapientiam scribe in tempore suo, et qui minoratur actu percipiet illam*. Beatus Stephanus impletus fuit diuina sapientia, et ideo preualuit contra inimicos suos, unde conuenit ei quod dicitur: *Certamen forte dedit illi ut uinceret*. Sapientia principaliter acquiritur per gemitum orationis et studium. Principaliter exercetur igitur fortitudo primo per comparisonem ad superiora.

34 Secundo exercetur fortitudo hominis per comparisonem ad interiora, scilicet quando quis fortis est corde, unde in Prou.: *Melior est uir paciens uiro forte; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*. Dupliciter autem dominatur quis animo suo, scilicet qui potens est super passiones cordis subito alternantes et super passiones cordis illicitas refrenandas.

35 Primo dico: est quis fortis quando potest super passiones cordis subito alternantes. Fortitudo ista requiritur in prelato, scilicet ut irascatur per zelum iusticie in subditum delinquentem et blandiendo consoletur desperatum. Op<p>ortet enim prelatum subito <ab> affectu ire transire ad affectum misericordie. Sic fuit fortis beatus Stephanus. In eodem colloquio arguit Iudeos dure, dicens: *Dura ceruice, et incircumcisis auribus, semper uos et patres uestri Spiritui sancto resistitis*. Hoc non fuit sine ira per zelum; et statim orauit pro aduersariis suis et transiit ad affectum misericordie ad proximum. |78va| Sic igitur qui <pos>sit alternare subito[s] affectus suos fortis est, unde Iob: *In fortitudine eius repente mare congregatum est*. Diuina fortitudo est que inundationes maris, id est amaritudinis, potest refrenare.

36 Item apparet fortitudo in refrenatione affectionum animalium et carnalium. Primo fuit fortis Stephanus in refrenatione affectionum animalium, ut sunt gaudium et dolor, spes et huiusmodi, unde in Prou.: *Manus fortium domina<bi>tur; que autem remissa est, tribute<s> seruiet*. Fortis est qui affectus restringit inordinatos, et qui nescit refrenare seruus est tributorum, quia op<p>ortebat ipsum seruire aduersariis suis, scilicet dyabolo, qui ipsum turbabit et cor eius inquietabit. Vnde super illud: *Si oculus tuus dexter scandalizauerit te, erue eum, et proi<i>ce eum abs te*, dicit Augustinus: “Per oculum dextrum signatur illud quod plus est amatum. Si propinquus tuus te cor<r>umpat, erue eum, id est fuge ipsum.” Apparet igitur fortitudo hominis in precidendis membris scandalizantibus. Op<p>ortet etiam dominari affectionibus carnalibus, unde in Prouer. dicitur de muliere forti quod accinxit fortitudine lumbos suos. Lumbos fortitudine accingere est carnalitatem extinguere. Et in canonica Iohannis: *Scribo uobis adolescentes, quia fortes⁴³ estis, in uerbum Dei manet in uobis – fortes estis*, scilicet resistendo desideria carnalia. Op<p>ortet inordinationem carnalium desiderium extinguere, aliter ducitur homo in fluxum libidinis. Et talis homo minus ualet quam brutum, quia brutum ducitur ad sensualitatem quia non habet rationem refrenare, set homo habet rationem qua potest refrenare motus inordi|78vb|natos. Vnde conqueritur Dominus per Ieremiam: *Abierunt, inquit, absque fortitudine ante faciem subsequenter*. Set beatus Stephanus fortis fuit, quia potuit super passiones subito alternantes transeundo ab affectu ire ad affectum misericordie; fuit etiam fortis resistendo affectus animales et carnales.

37 Tercio exercetur fortitudo per comparisonem ad exteriora, et hoc

⁴³ quia fortes| written twice and expunged

duplīciter, scilicet in aggrediendo terribilia et in sustinendo terribilia illa<ta>. Beatus Stephanus fuit fortis aggrediendo terribilia, quia fortiter arguit⁴⁴ aduersarios. Item fuit fortis in sustinendo terribilia illata quia fortiter sustinuit aduersa, unde in libro Sapientie: *Sapientiam non uincit malitia. Set attingit sapientia a fine usque ad finem <fortiter>*. Si cadis in odium uel in scandalum fratris tui, uictus es. Dicit beatus Iohannes quod “nemo leditur nisi a se.” Qui aufert tibi tunicam et dat tibi clamidem auream non iniuriatur tibi. Sic facit ille qui percutit te. Si pacienter sustines, dat tibi coronam, set si deferas iusticiam et scandalizas alium, uictus es.

38 Sequitur quartum in quo commendatur beatus Stephanus a perfectione signorum et prodigiorum. Signa sunt miracula minora; prodigia sunt miracula maiora. Dicit: *signa et prodigia*, [et pro] id est mali faciunt signa, set suscitare mortuorum creatura <non> potuit nisi per Deum. Vis scire quibus innititur fides Christiana? Nichil est, nec miraculum nec aliud quod sufficiat ad ingerendam fidem Christianam, nisi Spiritus sanctus. Et sunt septem per que probatur fides nostra, unde in Prou.: |79ra| *Sapientia fecit domum, excidit in ea columpnas septem*.

39 Prima columpna est euidētia miraculorum, quod notatur cum <dicīt>: *faciebat signa et prodigia*. Vnde Augustinus, XXII De ciuitate Dei: “<Spiritus sanctus> descendit ad probandam fidem nostram per miracula Christi.” Et Saluator dicit: *Si michi non creditis, operibus meis credite*. Et alibi: *Opera que ego facio testimonium perhibent de me*. Et Hugo de Sancto Victore dicit: “Audeo dicere, Domine, si error est in fide, per te decepti sumus: ista tot et talibus signis confirmata fuerunt que nonnisi per te fieri potuerunt.” Illud patet in Iohanne Baptista et aliis sanctis pro quibus Deus multa miracula facit. Reducitur experientia diuine bonitatis in cordibus sanctorum, qui tot bona sentiunt. Prima igitur columpna per quam probatur fides Christiana est irrefragabilis euidētia miraculorum.

40 Secunda columpna est conuersio aduersariorum, immo conuersio omnium ad cultum Christi. Imperatores et alii tyranni persecuti fuerunt fidem Christianam quam potuerunt, <set> dona mirabilia resistere non potuerunt, ut patet in Constantino imperatore. Sapientes etiam mundi et omnes potestates mundi ad fidem Christi sunt conuersi,⁴⁵ ita quod non remansit potestas⁴⁶ notabilis, que non crederet fidei Christiane ante doctrinam Machometi.⁴⁷ Vnde Augustinus: “Conuersi sunt omnes ad fidem, aut hoc est persuasum est per signa irrefragabilia, aut non persuasum est per signa irrefragabilia. Si credas⁴⁸ non est persuasum per signa irrefraga|79rb|bilia, hoc solum sufficit, quod mundus credidit sine signis.” Item Augustinus: “Siquis adhuc credente mundo prodigium requireret, magnum ipse prodigium est, quod credente mundo non credit.”

41 Tertia columpna per quam probatur fides Christiana est testimonium aduersariorum. Etiam illorum qui remanserunt extra fidem Christianam, non est secta que non dicat quod fides nostra melior⁴⁹ est post suam. [ergo mdat testimonio] Manicheus negat Vetus Testamentum et concedit Nouum, Iudeus concedit Vetus Testamentum et negat Nouum. Et per totum mundum residuum est Christianitatis

⁴⁴ arguit] argait (!)

⁴⁵ conuersi] aduersi

⁴⁶ potestas] potestat

⁴⁷ Machometi = Mahumeti

⁴⁸ Si credas] transposed

⁴⁹ melior] milior (!)

uocando hereticos orientales Christianos.

42 Quarta columpna per quam probatur fides Christiana est testimonium apostolorum et martyrum, unde in Prou.: *Testis fidelis nomen uerum scietur*. Mortui sunt Apostoli et alii martires pro ueritate et contestati sunt eam in morte. Heretici mortui sunt pro infidelitate sua in corpore et anima, set Deus sanctos suos clarificauit post uitam mirabilem.

43 Quinta columpna per quam probatur fides Christiana est attestatio illustrium uirorum sapientum Christianorum, sicut fuerunt Dyonisius, Augustinus, Ambrosius et alii qui in fide Christiana non discensierunt, nec in doctrina sua de quouis sit facienda.⁵⁰ Tante igitur certitudinis fides Christiana quod insanus est qui dissentiat, unde in Baruch: *Stelle dederunt lumen in custodiis suis. Vocate sunt, et dixerunt: 'Assumus'.* *Stelle*, id est sancti subsequentes apostolos, *dederunt lumen*, scilicet fidei, *in custodiis suis*, id est in suis prouinciis, sicut Dyonisius floruit in F<r>ancia, Augustinus | 79va | in Affrica, Ieronimus in Cicilia, Ambrosius in Ytalia, et Hylarius in Pictaui. Omnes scripserunt, non discensierunt in aliquo quod sit repudiandum.

44 Sexta columpna per quam probatur fides Christiana est concordia diuinorum Testamentorum. Vnde dicit Augustinus quod "in prophetis et aliis <non intellecto Christo>, nonne quod insipidissimum est ualet inueniri? Intellecto ibi⁵¹ Christo, non solum sapit quod legis est, set inebriat, et mutat animam a corpore."

45 Septima columpna per quam probatur fides Christiana est honestas morum. Perfecta morum honestas est in religione Christiana. Porphirius confitebatur quod non est inuenta uia liberandi animam, nisi in fide Christiana. Set uidit Saracenorum imperfectionem, qui non potuerunt, et ideo non credidit cum illis. Christus perfecte docuit morum honestatem uiam liberandi animam, quia docuit contemptum terrenorum et amorem eternorum. Dicit Augustinus: Porphirius hereticus credidisset religioni Christianorum, nisi quia uidebat sanctos martires interfici, et credebatur quod non posset fides durare. Set nesciebat quod consecrandus esset numerus martirum per quem confirmanda erat Ecclesia. Iste sunt septem columpne que probant fidem Christianam. Rogabimus Dominum etc

⁵⁰ in doctrina sua de quouis sit facienda] *not sure what this means*

⁵¹ ibi] uero

<SERMO 4B>¹

<Sermo in festo sancti Stephani protomartyris>
Sermo de beato stephano proth<omartyre>

Stephanus, plenus gracia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

1 Dicit Ysa.: *Exalta in fortitudine uocem tuam, qui euangelizas Ierusalem*. Hec duo facit Propheta: primo <h>ortatur predicatorem ad efficacem propositionem uerbi Dei, cum dicit: *Exalta in fortitudine uocem tuam*; secundo subiungit ex<h>ortacionis rationem, cum dicit: *qui euangeli*|191rb|*zas Ierusalem*. Qui *euangelizas*, id est qui salutem et bonam nunciacionem nuncias, *Ierusalem*, id est Ecclesie militanti. Euangelizare enim est bonum nunciare et salutem. Predicator autem a Deo mittitur, et pro salute mittitur, et Ecclesie mittitur. Racione horum trium, id est racione eius a quo mittitur, id est racione Dei a quo mittitur, et racione eius pro quo mittitur, id est racione ueritatis et salutis pro qua mittitur, et racione eius cui mittitur, quia mittitur Ecclesie, predicator debet habere prerogatiuam in sciencia et uita. Ideo dicit: *Exalta uocem*, in quo tangitur prerogatiua in predicatore. Ideo predicator debet pollere tripliciter, scilicet priuilegio² conuersacionis honeste, experimento³ contemplacionis, et libertate correctionis et constancie.

2 Ideo quantum ad primum, id est quod debet pollere [esse] <preuilegio> conuersacionis honeste. Dicit: *Super montem excelsum ascende*. Iste mons est uita excellens. Et sequitur: *et quasi tuba exalta uocem tuam*. In tuba sunt duo foramina: unum⁴ a parte oris cui os applicatur, quod est strictum, aliud exterius ad homines, quod est largum. Qui largum foramen tube applicaret ori non moueret homines ad prelium set ad ludibrium. Sic predicator altam ui<t>am predicans et sequens uitam largam et dissolutam, non animat homines ad penitentiam, set est ludibrium hominum. Talis predicator similis est illi qui dicit alta uoce “Hec sunt bona alecchia,”⁵ tibi, <et> submisce dicit: “Alecchia sunt mala.” Quid enim est uoce a<liu>d predicare bonam uitam et facto inugnare ea<m>, quam dicere alta uoce: “Hoc est bonum,” et submisce dicere: “Hoc est malum.”

3 Item predicator debet pollere experimento contemplacionis, ideo dicit: *Accedit homo ad cor altum*; Ecclesiasticus: *Exaltate eum quantum potestis*, |191va| *enim*⁶ *maior est omni laude*.

4 Item debet pollere libertate correpcionis, ubi: *Exalta uocem tuam, noli timere*. Hec tria debet habere predicator, et quia hec non scio esse in me, ideo rogemus etc.

Stephanus plenus gracia etc.

5 Hec uerba, sumpta de Actibus Apostolorum, recitantur hodie in Ecclesia ad commendacionem beati Stephani. Set notandum quod Deus in celo materiali omnia

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 191ra-195va. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 477, nos. 8 and 9; TH. KAEPPPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 110, n. 1539.

² priuilegio] preuilegio

³ experimento] experimentis

⁴ unum] unde

⁵ alecchia = alletia

⁶ enim] tamen

ordinauit congruo ordine. Sic in celo spiritali omnia congruo ordine ordinauit, licet lateat nos. Vnde [quod?] post festum Natiuitatis Christi immediate iunxit et ordinauit tria festa, id est festum Stephani, Iohannis, et Innocentum, hoc ordine congruo fecit Deus quia sicut sol est in celo cui stelle adiunguntur, sic Christi natiuitas est sol in Ecclesia cui tria festa predicta sicut stelle adiunguntur.

6 Nam Christus per se et per suos sanctos sibi coadiuuatores [quos] uoluit habere [coadiuuatores] ut eos honoraret. Expugnauit dyabolum, qui per uiolenciam tyrannorum, per fallaciam hereticorum, per falsam simulacionem ypocritarum Ecclesiam inpugnabat. Ideo contra tria per que dyabolus inpugnabat⁷ Ecclesiam, Christus apposuit tres exercitus per quos dyabolus expugnauit. Isti tres exercitus sunt exercitus martirum, exercitus sapientum doctorum uel sapiencia doctorum, et sanctimonium uel exercitus innocentum. Isti sunt tres exercitus, qui sunt in celo, qui sequi sunt Dominum. Per Stephanum exercitus martirum intelligitur, per Iohannem exercitus doctorum, per Innocentes exercitus omnium innocentum, ideo dicit Petrus: *Quasi unigeniti infantes* etc. Ideo isti tres principatus Ecclesie significantur per Stephanum, Iohannem et Innocentes, et ideo festa istorum trium celebrantur immediate iuxta natiuitatem Christi.

7 Sciendum |191vb| enim quod dyabolus uincendo hominem fecit eum cadere in tria mala, scilicet in fragilitatem ei auferendo fortitudinem, in fatuitatem ei auferendo sapienciam, et in miseriam ei auferendo felicitatem. Set Christus per constanciam martirum qui fragilitate sua bene utentes dyabolum uicerunt, expugnauit dyabolum, et sic homini restituta est fortitudo. Et contra id quod dyabolus duxit hominem in fatuitatem, Christus per sapienciam doctorum expugnauit dyabolum, et sic homini restituta est sapiencia et Dei cognicio. Et contra id quod dyabolus duxit hominem in miseriam, Christus per miserias Innocentum, quas in morte sua passi sunt, per quam felicitatem sunt adepti, expugnauit dyabolum, et sic restituta est homini felicitas. Ideo Christus coniunxit festo sue natiuitatis tria festa predictorum sanctorum.

8 Quidam enim in morte et uita testificantur Christum. Talis fuit Stephanus, cuius tota uita fuit martyrum et testificata est Christum, et etiam in morte testificatus est Christum. Augustinus: “Qui uiuit secundum Scriptu<ra>m testificatur Christum.” Et quia Stephanus uixit secundum Christum, ideo uita eius testificata est Christum. Alii uero testificantur Christum in uita et moriuntur in pace. Talis fuit Iohannes, qui in uita sua fuit martyr, et non in morte fuit martir, quia mortuus est in pace. Alii testificantur Christum in morte, et non in⁸ uita. Tales fuerunt Innocentes, qui in morte testificati sunt Christum. Ideo festa trium predictorum sanctorum, qui representant tres status testificancium Christum, celebramus
immediate iuxta festum Natiuitatis Christi.

9 Dicit ergo: *Stephanus plenus gracia et fortitudine* etc. In quibus uerbis Stephanus commendatur quadrupliciter. Communis enim perfectio est perfectio status, uel habitus, uel operum, uel signorum. Ab ista quadruplici perfectione |192ra| commendatur Stephanus in dictis uerbis: a primo commendatur cum dicit:

⁷ inpugnabat] ut added after and expunged

⁸ in] written twice

Stephanus; a secundo cum dicit: *plenus gracia*; a tercio commendatur cum dicit: *fortitudine* (et licet fortitudo sit habitus uel dicat habitua, tamen fortitudo sumitur hic pro usu et actu gracie⁹); a quarto commendatur cum dicit: *faciebat signa et prodigia magna in populo*.

10 Primo commendatur a perfectione status cum dicit: *Stephanus*. Stephanus autem interpretatur corona, forma, norma¹⁰ uel¹¹ regula, et sic commendatur ut dux trium statuum ratione triplicis interpretacionis sui nominis. Primo, ut Stephanus interpretatur corona, commendatur ut dux exercitus martirum. Secundo, ut Stephanus interpretatur forma, commendatur ut dux exercitus prelatorum. Tercio, inquantum Stephanus interpretatur norma uel regula, commendatur ut dux exercitus regularium et contemplatiuorum. Et ita est dux respectu trium statuum.

11 Glosa: "Stephanus Grece: corona Latine. Quod enim obtemperurus erat, presagio nominis preoccupabat, quia post crucem Christi primo martiratus est." Ideo dicit: *Eicientes*¹² <eum> extra ciuitatem, lapidabant, inuocantem et dicentem: 'Domine Ihesu, suscipe spiritum meum. Parce illis, qui <a> nesciunt quid faciunt.' Glosa: "Hoc proprium nomen ponitur ut negocium <nominis> aperiatur." Et ideo dicitur corona, quia coronam martirii optinuit.

12 Ideo dicit: *Preuenisti eum in benedictionibus. Gloria et honore coronasti eum, Domine*. Deus solo Verbo omnia facit, set dictio eius dicitur productio rerum, benedictio Dei dicitur infusio graciaram. Ideo dicit: *Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso*. Iuste lapide coronatur qui lapidatus est. Iste lapis est Christus, qui est corona eius, Ysa.: *Erit Dominus exercituum corona glorie residuo*¹³ *populi sui*. Corona est ornamentum capitis, et per consequens totius corporis. Per capud superior pars rationis, que cum inspicit in eternum bonum coronatur. Beatitudo uero est inspectio in eternum bonum, ita quod¹⁴ redundat in corpus. Ideo |192rb| gloria eterna significatur nomine corone, quia gloria primo est in ratione, que est caput, et postea redundat in corpus.

13 Et ideo dicit: *gloria et honore coronasti eum*. Gloria est in gloriante, et est motus ab intra ad extra. Honor est motus ab extra ad intra. Ihesus est honor extra, ut est homo honorans suos, et interius est gloria secundum deitatem glorificans suos, et secundum utrumque est corona suorum. Et ita nomine corone significatur gloria eterna.

14 Set circa hoc quod dicit: *eicientes eum extra ciuitatem, lapidabant*. Sciendum quod in uerbis istis tangitur triplex iniuria, quam passus est Stephanus. Quedam enim iniuria fit homini in fama que fit a detractoribus. Alia iniuria fit in substancia in re hominis possessa, hec fit a raptoribus. Alia fit in propria persona, ut que fit ab intersectoribus. Has tres iniurias passus est Stephanus: primam passus est quia ei detrahebant et maledicebant; secundam passus est quia eum spoliauerunt; tertiam iniuriam passus est quia ipsum lapidibus occiderunt. Et ita omne genus iniurie incidit in Stephanum. Hoc dico ut imitantes hunc sanctum sint fortes contra detractors, qui maculant homines et faciunt homini malum, quod omnino emendari non potest.

⁹ gracie] fortitudinis (see *Sermon 4A*, which uses gracie)

¹⁰ norma] normalis written, and lis expunged

¹¹ uel] written above the line

¹² Eicientes] uenientes

¹³ residuo] residui

¹⁴ quod] written twice, and first quod expunged

Similiter si spoliantur et lapidantur, sustineant in patiencia, ut iste sanctus sustinuit. Lapidari autem sonat in obiurgacione. Martires possumus esse si eum imitatur.

15 Item si causa<s> martirii eius consideramus, iuste passus est quia impietatem eorum arguit, ideo eum occiderunt; dixit enim eis: *Dura ceruice, Spiritui sancto semper resistitis*. Item per confessionem fidei occisus est. Et ita per has duas causas iuste passus est. Et eius martirium iustum est. Quidam enim pro iusticia, alii pro defencione fidei mortui sunt, et iste sanctus utroque modo mortuus est. Ideo causa sue mortis iusta est et eius mors iusta. Propterea in morte sua ualde similis fuit Christo in morte, quia extra ciuitatem |192va| Christus passus est, et iste sanctus extra ciuitatem lapidatus est, mortuus. Similiter Christus nudus crucifixus est, et iste nudus lapidatus est. Item Christus moriendo <orauit> pro inimicis suis, et iste sanctus similiter moriendo orauit pro inimicis suis. Item Christus moriens commendauit spiritum suum Deo, similiter iste moriens commendauit spiritum suum Deo. Et ita imitatus est Christum. Ideo <ut Stephanus> dicitur corona, <commendatur ut dux> exercitus martirum.

16 Secundo, ut Stephanus <dicitur forma> fuit dux exercitus prelatorum suo modo, id est archidiaconorum. Fuit enim forma prelatorum, Petrus: *Non dominantes in clero, set forma facti gregis* etc. Iste forme in quibusdam sunt corrupte, in aliis sunt forme Platonice. Iste fuit prelatus constitutus ab Apostolis, ideo dicitur in Actu: *Non est equum <nos> dimittere uerbum Dei, et ministrare mensis*.¹⁵ Et tunc elegerunt Stephanum ut preesset mense. Sic prelatus debet fieri recta electione. Et ideo dicit: *Conuocatis apostolis* etc. Glosa: "Consensus debet requiri multitudinis"; et iterum: "Hic ordo seruandus est ut eligat populus et ordinet episcopus." Set modo uidetur fieri contrarium, quia clericus eligit et non populus. Dico quod Deo ordinate fit hoc, quia populus de facili seducitur. Set qui eligitur debet esse fauorabilis populo. Set modo infames eliguntur, infames luxuria et auaricia. Et dicimus quod extraneus non debet poni, ubi domesticus honestus potest haberi, qui habet bonum testimonium, qui sit plenus Spiritu sancto, cuius sapientia sit nota. Hec est forma apostolica in eligendo que debet seruari, quia quod Apostolis dictum est aliis est proponendum. Et quod dicitur: *Considerate ex uobis gnaros*¹⁶ *sapientes, quorum uita sit approbata* etc. Et illos eligatis. Hoc uerum est nisi alienus sit sapientia, moribus et aliis bonis peditus, et Ecclesie necessarius. Talis alienus com<m>ode secundum Deum potest eligi. Set quandoque ydiota eligitur qui expedit |192vb| bona Ecclesie, et ponit Ecclesiam in debitis pro symonia, quam commisit dando dona plurima pro sui electione. Set iste sanctus canonice fuit electus ab Apostoli<s>.

17 Item, tercio, ut Stephanus dicitur regula uel norma fuit dux exercitus religiosorum et contemplatiuorum. Acti[?]¹⁷ dicitur: *Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in celum* etc. Omnes sumus contemplatiui: studentes sunt contemplatiui suo modo, et religiosi sunt contemplatiui suo modo. Dicit ergo: *Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in celum, ait: 'Ecce uideo celos apertos'* etc., in quo uerbo triplex tangitur exercitium. Primum est exercitium gracie et uirtutum cum dicit: *Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto*; secundum est exercitium illuminationis sciencialis cum dicit: *intendens in celum*; tercium est exercitium

¹⁵ mensis] uacare mense

¹⁶ gnaros] gnales (?)

¹⁷ Acti] actium (?)

contemplacionis cum dicit: *uideo celos apertos*, in quo tangitur haustio in contemplacione. Set aliqui e contrario prius uolunt docere quam scienciam acquirere, et hoc est quia primo non intendunt gratiam haurire.

18 Item debemus intendere in celum per oracionem et contemplacionem. Primo debemus intendere in celum per oracionem, et maxime pro Ecclesia in oracione est intendendum, que est in magno periculo. Sic Stephanus intendens in celum per oracionem de Paulo persecutore fecit predicatorem. Augustinus: "Si Stephanus martir non orasset,¹⁸ Ecclesia Paulum non haberet." Set uidetur quod ira Dei sit supra Ecclesiam, cum nullus hanc faciat¹⁹ in orando. Iacobus: *Helyas fuit homo passibilis, et rogauit quod non plueret, et non pluuit tribus annis et mensibus sex. Et postea orauit, et pluuit.* Ecce quod habuit potestatem claudendi celum et aperiendi. Similiter manibus suis eleuatis pugnabat Moyses, quia cum Moyses leuabat manus ad Deum, uincebat Israel, cum re |193ra| ponebat manus, uincebat Amalech. Et ita uidetur quod non oramus Dominum pro Ecclesia, uel si oramus, indigne oramus. Vel ira Dei est supra Ecclesiam, que continue impugnatur. Et <dicatur>: "Cui caput infirmum cetera me<m>bra dolent." Et si capud nullum cum membra putrent. Modo non sit caput, id est papa, in Ecclesia Dei membra putrent. Detrahimus electoribus qui debent papam eligere, set scribitur: *Diis non detrahes*, et ideo imputemus hoc peccatis nostris.

19 Item debemus intendere in celum per contemplacionem, uel contemplatiuus debet inspicere inspectione diuinorum. Set clerici inspiciunt in cenum, scilicet ad lucrum. Alii aspiciunt ad infernum, sicut theologi, qui dimissis libris sanctorum conuertunt se ad libros eorum qui sunt in inferno, in quibus si est aliqua ueritas, cum falsitate est admixta. Filius Dei uenit ut restitueret homines de inferno, set isti tendunt in infernum. Triplex est gradus doctrine. Quidam sunt theologi philosophantes, alii sunt philosophi theologizantes, alii sunt canoniste litigantes. Quondam Ecclesia consueuit regi in pace per canones, modo regitur per aduocatos, per quos fiunt plura mala quam per hereticos. Et student in legibus dicentes quod canones non possunt sciri sine legibus. Set hec ignorancia expediret, ut Ecclesia careret omnibus aduocatis propter malos. Et ita tres sunt ordines doctrine, scilicet theologi philosophantes, philosophi theologizantes, et aduocati <litigantes>. Set theologi de omnibus possunt agere. Isti sunt tres spiritus ranarum de quibus dicitur in Apocalypsi.

20 Et sic commendatur iste sanctus ut dux exercitus martyrum, et ut forma prelatorum, et ut norma et regula contemplatiuorum.

21 Item commendatur ab habitu, ibi: plenus gracia. Dignum erat ut Christus impleret gracia[m] illum per quem alios uoluit habere gracia<m>. Ideo dicit: *Stephanus, plenus gracia*. Et si intelligamus de gracia gratis data, iste sanctus erat graciosus. |193rb| Si de forma eius loquamur, pulcher fuit. Ideo dicunt quod faciem angeli habebat Stephanus. Set de hac pulchritudine non est curandum, quia *fallax gracia, et uana est pulchritudo*. Super gracia linguarum et idiomatum dampnosa est, unde quidam ait: "Gracia est non habere gratiam." Set iste sanctus fuit plenus triplici gracia, scilicet gracia purgante, gracia illustrante uel illuminante, et gracia consum<m>ante.

¹⁸ orasset] esset

¹⁹ faciat] efficaciam

22 Plenus fuit primo gracia purgante. Ideo dicitur in Cantico: *Manus tue*, id est opera tua, *tornatiles auree plene iacinto*. Tornatile est quod fit torno, uel tornatile est torno factum. Quod fit cum fiunt bona opera. Aurum purum est et significat opera munda. Iacinctus cum celo mutat colorem: cum sereno tempore habet colorem clariorem; cum spisso tempore habet colorem spissiorem et minus clarum. In 'tornatili' innocencia ad proximum intelligitur, incorruptio ad seipsum, et perfectio obediencie, quia sicut iacinctus mutatur ad colorem celi, sic ad Dei uoluntatem debet homo imitari obediendo. Ideo dicit in Cant. V: *Manus mee distillauerunt mirram primam, et digiti mei myrrham probatissimam*. Mirra est amara gustui, suavis odoratui, aduersaria putredini. Per mirram penitencia <significatur> que amara sensui, suavis et placida Deo et intellectui, et aduersaria carnali concupiscencie. Stephanus habuit mirram, id est penitenciam, in manibus, id est in operibus, per quam penitenciam putredo luxurie in eo non fuit. Fuit enim uirgo, similiter et Paulus fuit uirgo, et ita corrupcio luxurie in eis non habuit locum. Si Petrus non fuit uirgo, non est arguendus, quia ante aduentum Christi duxerat uxorem, quando secundum legem quilibet ducebat uxorem. Set modo clerici, qui esse debent puri, et prelati, qui sunt manus Ecclesie, non habent mirram, id est penitenciam et incorruptionem, in manibus, id est in operibus, immo luxurie uicio putrescunt. Gregorius: "Iumenta <in stercore suo> putrescere est <homines> in luxuria uitam finire." [193va] Set Stephanus habuit manum plenam mirra, id est penitencia et bonis operibus, quia sancte uixit. Plenam habet manum mirra qui in se penitenciam facit, set digitos habet plenos mirra qui alios suo exemplo ad penitenciam ducit. Hoc utroque modo Stephanus habuit mirram, scilicet in manu, id est in se penitenciam <faciendo>, et digiti sui distillauerunt mirram probatissimam, alios suo exemplo ad penitenciam ducendo. In 'digitis' intelligitur penitencia distincta. Si fecisti contra Dei preceptum primum uel secundum uel tertium, punias te. Per contrarium hoc est habere digitos plenos mirra probatissima, quia penitencia senum est probata, penitencia iuuenis est probatior, et adolescentum penitencia est probatissima mirra. Vel myrrha probata est penitencia peccatorum, mirra probatissima est penitencia innocentum. Vel mirra probata est penitencia eorum qui secuntur alios, set mirra probatior est penitencia eorum qui alios ad penitenciam ducunt. Hiis duobis modis fuit penitencia Stephani mirra, scilicet ratione sui, et ratione proximi, que<m> duxit ad penitenciam. Et ideo in eo fuit gracia purgatiua, et quoad hoc dicitur plenus gracia. In Actu dicitur: *Eligite ex uobis uiros plenos gracia*; et sequitur: *Elegerunt Stephanum, plenum gracia, Spiritu sancto et fide*. Gracia autem eius per plenitudinem signatur ad signandum graciā purgatiuam; et ita electus est Stephanus a Deo. Set Deus a se eicit carnales peccatores, et ita fuit Stephanus plenus gracia purgante.

23 Secundo fuit plenus gracia illustrante uel illuminante que signatur per sapienciam et fidem cum dicit: *plenus sapientia et fide*. Fides autem replet tres uirtutes uel anima ueritate,²⁰ magnanimitate, et uirtute²¹ uel bonitate: rationale uim replet ueritate,²² irascibilem magnanimitate, et concupiscibilem uirtute uel bonitate. Que tres uirtutes secundum theologos sunt in parte intellectuali, licet secundum naturales

²⁰ ueritate] uirtute

²¹ uirtute] ueritate

²² ueritate] uirtute

<philosophos> irascibiles |193vb| et concupiscibiles sunt in parte sensitua.

24 Item fides replet intellectum practicum ueritate.²³ Paulus: *Quod non est ex fide, peccatum est*. Item fides replet intellectum speculatiuum ueritate, nam Deum non cognoscimus nisi per fidem, Paulus: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparencium. Speramus enim que oculus non uidit* etc. Set sciencia humana per oculum uel auditum intra<t>, unde cum cognicio eternorum non habeatur uisu uel auditu, oportet quod eorum cognicio habeatur per fidem. Ponas ergo fidem, et erit argumentum eternorum. Vnde sicut argumentum notificat conclusionem, sic fides notificat eterna. In sciencia humana argumentum facit fidem, set in sciencia diuina fides facit cognicionem et certitudinem.

25 Item fides replet concupiscibilem <uirtute>. Paulus: *Fides que per dilectionem operator*. <Sicut> est mundum lumen solis, <set> lumen²⁴ lune est fructum, sic fides sine caritate est lumen fructum, set fides cum caritate est lumen mundum.

26 Item fides replet irascibilem <magnanimitate>, quia qui fidem puram habet nichil timet. Ideo ait: *Modice fidei, quare dubitastis?* Et alibi dicitur: *Hec uictoria que uincit mundum, fides nostra*. Ideo dicit: *Si habueritis fidem sicut granum synapis* etc. Granum²⁵ sinapis est modicum quantitate, set est magnum caliditate. Sic fides est modica humilitate, et est magna uiuicite et inflammacione. Et sequitur: *Et <si> dicetur huic²⁶ monti: 'Transferte in mare' etc.* — monti: <si> temptationi diaboli resistitis, tunc dyabolus transfert se, id est recedet a uobis. Ideo dicit credentibus: Nichil impossibile erit uobis, scilicet quod procedat ex fide.

27 Et ita Stephanus fuit plenus gracia et fide. Et ita dictum est quomodo fuit plena gracia purgante et illuminante uel illustrante. Sequitur uidere quomodo fuit plenus gracia consummante.

COLLACIO

Stephanus, plenus gracia et fortitudine etc.

28 Dictum est hodie quod Stephanus |194ra| commendatur in uerbis istis quadrupliciter, scilicet quoad perfectionem status, habitus, operum et signorum. Et ideo dictum est quod in hoc nomine, Stephanus, qui interpretatur corona, forma, et norma uel regula, proponitur nobis Stephanus ut dux Christiane milicie quoad statum martirum, prelatorum, et contemplatiuorum uel religiosorum. Ipse enim est, ut dicitur in Actu, in quo collegium cenobitarum inceptum est. Et dictum est quod commendatur quoad perfectionem habitus quoad gratiam purgante<m>, ut per penitenciam, et quoad gratiam illustrantem que illustracio uel²⁷ illuminacio fit per fidem.

29 Conuenienter dicendum est de plenitudine gracia consummantis, id est quomodo fuit plenus gracia consummante. Et notatur quod Stephanus dicitur plenus gracia, fide et Spiritu sancto. Hoc quod dico, 'plenus gracia,' ap<p>ropriatur ad gratiam purgantem cum dicit: *plenus fide* ap<p>ropriatur ad gratiam illustrantem uel

²³ ueritate] bonitate et uirtute

²⁴ lumen] solis added after and expunged

²⁵ Granum] quantum

²⁶ huic] hec

²⁷ uel] purgatio added after and expunged

illuminantem; et hoc quod dicit, ‘plenus Spiritu sancto,’ ap<p>ropriatur ad gratiam consummantem, que est caritas propter quam omnia alia sunt, scilicet uirtutes et alia bona. Christus enim dedit consilium de paupertate propter caritatem. Bernardus: “Hec,” scilicet caritas, “est causa contemptus diuiciarum, quia cor humanum facilius adheret eis que²⁸ frequentat.” Ideo consulitur a Christo quod relinquantur diuicie, ne preponantur caritati. P<aulus>: *Plenitudo legis est dilectio*, qua iste sanctus incaluit. Fuit enim amator inimicorum suorum, ammonuit enim eos ad fidem, dicens: *Karissimi fratres* etc. In hoc apparuit perfectio eius, quia aduersariis suis nunciauit salutem, et orauit pro eis, et excusauit eos, dicens: *Domine, parce illis, quia nesciunt quid faciunt*, in quo maxime apparuit eius caritas. P<etrus>: *Caritas operit multitudinem peccatorum*. Caritas enim nititur adnichilare et diminueri peccata aliorum. Hoc fecit Stephanus, ideo erat plenus gracia consummante, quod patet quia Stephanus stans orauit pro se, set flectens genua orauit pro aliis quia ibi erat maior necessitas.

30 Sequitur de |194rb| tercio cum dicit: *plenus fortitudine*, in quo Stephanus commendatur a perfectione operum. Perfectio autem operum declaratur tripliciter, scilicet per comparacionem ad superiora, <per comparacionem> ad interiora, et per comparacionem ad exteriora. Primo declaratur per comparacionem ad superiora, scilicet inpetrando gratiam et in acquirendo sapienciam.

31 De primo dicit Osee: *In fortitudine sua directus est cum angelo. Et inualuit ad angelum, et confortatus est* etc. Hystoria est in Gen., ubi dicitur quod Deus ap<p>aruit Iacob in angelum,²⁹ et ait ei: *Si contra Deum fortis fuistis, et contra homines inualebis*. Vnde non est natura in eneruacione nostra quod gracia Dei non acquirimus, quia Deus ualde cito placatur. Et dicit se teneri ab homine. Vnde Dominus ait Moisi in Exodo: *Dimitte me, ut irascatur furor meus in populum istum, et deleam eum*. Gregorius: “Quid est dicere, *dimitte me*, nisi petere ausum prebere?” Per quod patet quod magna est potestas hominis, quia Deus multum fauorabilis est eis qui eius gratiam uolunt habere. Ideo nobis inputandum est si Dei gratiam non habemus, Ysa.: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis ei silentium*. Et ita perfectio operum hominum declaratur per comparacionem ad superiora, unde Dominus ait: *Regnum celorum uim patitur*.³⁰ Et quantam gratiam iste sanctus habuit, et inpetrando gratiam aduersario suo patet, quia eius precibus conuersus est Paulus aduersarius eius, qui custodiebat uestes lapidancium Stephani.

32 Secundo declaratur perfectio operum inpetrando sapienciam, Prou.: *Manus forcium diuicias parat* etc., <scilicet> diuicias illas de quibus dicitur: *Diuicie salutis, sciencia, et sapiencia: timor Domini ipse est t<h>esaurus eius*. Ideo dicitur in Sapiencia: *Colluctata est anima mea in illa*. Et ideo quod necessarium est, homo sit boni ingenii oportet quod fortissime³¹ studeat et laboret,³² aut aliter non erit perfectus in cognicione. Et ideo homines ingeniosi, qui sunt presumptuosi, |194va| non sunt boni clerici, quia non student confidentes de suo ingenio. Ideo dicitur: “Ingenium, nisi sit studium, flos est sine fructu.” Ecclesiasticus: *Sapienciam scribe in tempore uacuitatis*, quia <qui> compluribus intendit non facit fructum. Set iste sanctus

²⁸ que] qui

²⁹ angelum] angelo

³⁰ patitur] patrum

³¹ fortissime] et added after and expunged

³² laboret] laborite (!)

inualuit, quia intentus fuit certamini, ideo: *Deus <certamen forte> dedit ei ut uinceret*. Et ita patet quod studendo et acquirendo Dei gratiam impetratur sapiencia.

33 Item perfectio operum declaratur per comparacionem ad interiora. Ideo dicit: *Melior est sapiens uiro forti.*; *<et qui dominator animo suo, expugnatore urbium>*. [Ille autem est fortis qui duo potest talis dominator sibi.] Fortis enim est qui sibi dominatur. Ille autem dominatur sibi qui potest super duo, id est qui potest super passiones, cum res exigit, subito alternandas et super eas cohibendas.

34 Primo ille est fortis qui potest supra passiones subito alternandas. Talis debet esse prelatus, qui miseros debet consolari, et qui debet moueri ira zeli contra malos. Et ita qui subito sic mouetur ab uno ad aliud potest supra passiones alternandas. Talis est fortis et potens supra sua interiora. Talis fuit iste sanctus, qui ait: *O dura ceruice, et incircumcisi corde* – ecce ira per zelum. Et statim postea orauit pro eis – ecce quod illis miseris miserebatur et co,nsolabatur eos. Quod si uellent credere fidei Christi quod Deus susciperet eos, Iob: *In fortitudine eius repente mare congregatum est* – mare est cor; fortitudo eius est cum subito potest uni<fi>cari.

35 Item fortitudo patet in plena refrenacione et cohibicione passionum, et hoc uel respectu passionum animalium uel respectu passionum carnalium. Respectu passionum animalium, ubi sunt spes, timor, amor et cetera. Vnde cum homo refrenat uel extirpat huiusmodi passiones animales, et maxime amorem inordinatum, tunc est for |194vb| tis. Prou.: *Manus forcium dominabitur; que remissa est, tributis*³³ *seruiet* – seruire tributis est dare auxilium aduersario. Augustinus: “Si oculus dexter scandalizat te, eice eum abs te.” Per oculum dextrum, qui diligitur magis, signicatur amicus, qui, si te scandalizat, remoue eum a te. Hic apparet fortitudo in precidendis³⁴ membris scandalizantibus.” Cum enim affectus inordinatus est in animo, homo numquam proficiet. Item fortitudo patet in refrenando passiones carnales; quibus oportet dominari. Prou.: *Accinxit fortitudine lumbos suos*, scilicet ex arguendo³⁵ carnalitatem uel carnalem concupiscenciam, Iohannis: *Scribo uobis O iuuenes, qui fortes estis, quoniam uicistis malignum*. Talis est qui uincit carnales affectus. Set qui non resistit passionibus carnalibus et primis motionibus similis est iumento, Yer.: *Abierunt absque ulla fortitudine ante faciem subsequentis*. Et ita fortitudo est cum homo potest refrenare passiones uel affectus animales et carnales.

36 Item fortitudo exercetur per comparacionem ad exteriora dupliciter: scilicet uel in ag<g>rediendo terribilia, quod fecit sanctus quia inuasit hostes eos arguendo, uel in sustinendo mala illata ab aduersario, quod fecit iste sanctus, qui pacienter sustinuit tormenta illata ab aduersariis suis. Ideo ei conuenit quod dicit Salamon:³⁶ *Sapiencia uincit maliciam*. Iste sanctus uincit maliciam aduersariorum suorum, et non est uictus a malicia eorum. Si autem quis scandalizatur a malicia aduersarii, iam uincitur, et ideo homo talis uincitur a seipso. Crisostomus dicit: “Nemo leditur nisi a se.” Si aufert tibi tunicam et dat tibi auream, non ledit te. Hoc facit ille qui te ledit cum patienter sustines iniuriam |195ra| ab eo illatam.³⁷ Set si non resistis uinceris, et ita iam non es fortis. Non sic iste sanctus uictus fuit, set fortiter patienter sustinuit

³³ tributis] tributo

³⁴ precidendis] presidendis

³⁵ arguendo] ungueno (!)

³⁶ Salamon= Salomon

³⁷ illatam] illatum

<iniuriam illatam>, et ideo fortis fuit.

37 Sequitur de quarto cum dicit: *signa magna et prodigia faciebat in populo*, in quo iste sanctus commendatur a perfeccione signorum. Mali quandoque faciunt signa, set prodigia non possunt fieri nisi per Creatorem. Septem autem sunt quibus fides Christiana innititur, et que certitudinem faciunt de fide. Set fidem intus in corde uero gignere nichil³⁸ potest nisi Spiritus sanctus. Prou.: *Sapientia edificauit sibi domum, exicidit columpnas septem*.

38 Prima columpna est irrefragabilis euidentia miraculorum, de qua dicitur hic: *Stephanus autem faciebat signa et prodigia magna in populo*. Vnde Augustinus: “<Spiritus sanctus> confirmat fidem per miracula Stephani,” ut patet in libro De ciuitate Dei. Ideo Christus confirmando fidem dicit: *Si non fecissem opera que alius non fecit, non peccarent, non credendo michi*. Et ali****i dicit: *Opera que ego facio, testimonium per**<h>**ibent de me*. Ideo dicit Ricardus: “Domine, si error est de fide, nonnisi per te decepti sumus, quia ista tot et talibus signis confirmata sunt, que nisi per te potuerunt fieri.” Set Deus nullum decipit. Ergo fides est certa, ut patet in miraculis que facit Deus in festo Iohannis Baptiste in curando insanos. Et ad hoc est experientia diuine gracie quam *nemo nouit, nisi qui accipit*.

39 Secunda columpna est conuersio aduersariorum fidei et conuersio tocius mundi ad cultum Christi. Nonne imperatores persecuti sunt fidem, set per miracula crediderunt, et multi magni aduersarii fidei et multi sapientes mundi conuersi sunt ad fidem, ita quod nullus populus remansit in mundo quin crederet fidei Christi? Set per Macometum³⁹ multi apostotauerunt. |195rb| Augustinus: “Conuersi sunt ad fidem, maiores et minores, sapientes et insipientes.” Et uult dicere quod crediderunt per miracula que uident. Fides est contraria carni et sanguini, ideo oportuit quod confirmaretur per miracula. Set Magometus⁴⁰ concedit hominibus carnalia, quibus homines consueciunt, ideo multos fecit apostotare et conuertit ad se. Augustinus: “Siquis iam credendo mundo prodigia querit, <magnum ipse prodigium est, quod credente mundo non credit>.”

40 Tercia columpna est testimonium aduersariorum, quia si queras a Saracenis que est melior fides et lex, dicent quod post suam legem et fidem, fides Christiana et lex est melior. Similiter si queras a Iudeis que est fides melior, dicent quod fides Christiana est melior post suam. Et sic de aliis. Et Manicheus negat Vetus Testamentum, et Iudeus negat Nouum Testamentum, et ita habemus unum contra alium, id est Manicheum contra Iudeum, et econuerso. Item in omni regione mundi sunt Christiani, licet plures eorum sint heretici, isti remanserunt ex Christianis qui erant in toto mundo. Per quod patet quod totus mundus conuersus est ad fidem Christi.

41 Quarta columpna est inuincibile testimonium martirum. Prouerb.: *Testis fidelis <non mentitur>*. Martires mortui sunt testantes fidem Christi, quos Dominus miraculis declarauit, et ideo dicuntur martires, id est testes.

42 Quinta columpna est testimonium doctorum, ut doctrina Dionisii, Augustini, et aliorum doctrina doctorum, que profitentur fidem Christianam. Quis est tam

³⁸ nichil] uel

³⁹ Macometum = Mahumetum

⁴⁰ Magometus = Mahumetus

demens, qui non sequitur tot et tales sapientes in fide Christi? Baruch: *Stelle dederunt lumen in custodiis suis*. Iste stelle sunt sancti precedentes in diuersis temporibus | 195va| uel eodem tempore simul existentes. Augustinus enim florebat in Affrica, Ieronimus in Syria, Ambrosius in Italia, Hilarius in Pictaui. Isti dederunt lumen et non impugnaverunt se in aliquo.

43 Sexta columpna est concordia duorum testamentorum, que sunt connexa. Vetus [est] Testamentum sine Nouo est quasi fabula Ouidiana. Augustinus: “Doctrina psalmorum et aliis prophetis non intellecto Christo, nichil insipidius; intellecto Christo, nichil sapidius.”

44 Septima columpna est honestas morum. In sola enim religione Christiana est honestas morum. Porphirius hereticus dicebat quod non erat inuenta uia in anima liberanda. Iste uidit corrupcionem humane nature, set non uidit eius liberacionem factam per Christum, quam Christus et apostoli docuerunt. Christus enim uenit et docuit uiam salutis anime, que est in religione Christiana. Christus enim docuit paupertatem et alia multa que sunt uia ad uitam eternam. Augustinus dicit: Porphirius hereticus credidisset, nisi uidisset tyrannos occidere Christianorum multitudinem, et ideo credebant quod Christiana fides et religio deficeret. Set Augustinus multa dicit contra eum. Augustinus probat in libro, De uita Christiana, quod honesta est solum in religione Christiana, quia una secta habet suum deum et alia habet suum deum, set omnes Christiani habent unum Deum, cuius sermo purificat uel sanctificat illos qui audiunt ipsum. Ideo dicit: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis*.

<SERMO 5>¹

<Sermo in festo Innocentium>

Sermo de Innocentibus fratris Guill<erm>i de Lissi

Herodes mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in finibus eius, a bymatu et infra.

1 *Maria autem conseruabat omnia uerba hec, conferens in corde suo.* Res quedam conseruantur, ne corrumpantur, ut liquores preciosi conseruantur in uasis mundis. Quedam conser| 79vb |uantur, ne amittantur, ut iocalia. Aliquando conseruantur res, ne transgrediantur, sicut precepta. Istis modis Maria conseruabat omnia uerba. Et nos exemplo eius debemus conseruare uerba sacre Scripture tripliciter: primo, ne cor<r>umpantur male exponendo; secundo, ne amittantur obliuioni dando; tercio, ne transgrediantur opere non adimplendo, unde in Prou.: *Conserua precepta patris tui et legem matris tue*, scilicet quantum ad primum; *liga ea in corde tuo iugiter*, scilicet quantum ad secundum; *et cum ambulaueris, gradientur tecum*, scilicet quantum ad tercium. Hoc autem facere non possumus sine Verbo Incarnato, *transeamus igitur ad Bethle<h>em*, id est ad beatam Virginem, *et uideamus uerbum, quod fecit Dominus*, et rogemus ipsum etc.

Herodes etc.

2 Consuetudo est magnorum principum, ut regum, ducum et talium, quando mittunt pueros suos ad loca remota, associant eis alios pueros, quos induunt etiam cum uestibus similibus cum eis. Sic Christus ueniens in mundum innocens tamquam, suos consimiles sibi associauit et consimili ueste induit, scilicet ueste candida, que est uestis uirginum, et ueste purpura, que est uestis martirum. Vnde Ysa.: *Ecce ego et pueri mei mecum*; et in Apocalypsi: *Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt*.

3 Set Herodes nesciens cognoscere Christum ab aliis, querens unum interficere, omnes interfecit a bymatu et infra, ut occidendo omnes unum interficeret. Et notantur in uerbis istis duo: primo Herodis malicia cum dicit: *Herodes mittens occi| 80ra |dit omnes*; secundo notatur puerorum innocencia cum dicit: *occidit pueros* etc., quia “puer” idem est quod “purus aer.” Herodis malicia ex duobus patet: primo ex genere operis cum dicit: *occidit*; secundo ex peruersitate intencionis, quia mittens omnes occidit uolebat occidere Ihesum. Et ideo omnes occidit ut uideamus maliciam Herodis ex genere operis.

4 Notandum quod legimus quatuor reges puerorum necatores. Primus fuit Pharaon, qui ipsos occidit in flumine. Secundus fuit Nabugodo<nosor>,² qui uolebat pueros comburere in igne. Tercius fuit Antiochus, qui pueros interficit suspendio et precipicio. Quartus fuit Herodes, qui pueros occidit gladio. Primus necando pueros

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Soissons, Bibl. Municipale 125, ff. 79va-83rb. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 478, nos. 10 and 11; TH. KAEPPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 110, n. 1540. Another edited version of this sermon was published by A. Sulavik, “The Preaching of William of Luxi, O.P. at the Paris Schools between 1267 and 1275,” *Preaching and Society in the Middle Ages: Ethics, Values and Social Behaviour: Proceedings of the XII Medieval Sermon Studies Symposium held in Padova 14 - 18 July 2000* (Centro Studi Antoniani, 35) – ed. L. Gaffuri, R. Quinto, Padua, (2002): 143 – 169.

² Nabugodo<nosor> = Nabuchodonosor

persequabatur sexum masculinum, secundus persequabatur cultum diuinum, tercius ritum legitimum, et quartus persequabatur Ihesum. Istis quinque modis necantur pueri corporaliter. Similiter necantur quinque modis spiritualiter: primo in flumine mundane uanitatis; secundo in igne concupiscencie carnalis; tercio suspensio superbie et elacionis; quarto³ precipicio indiscrete actionis; et quinto gladio dyabolice temptacionis siue tyrannice persecucionis.

5 Primo dico: necantur pueri in flumine mundane uanitatis. Vnde in Exodo dixit Pharaon duabus obstetricibus, una fuit Cephora, altera fuit Fua, precipiens eis: “Quando obstet <ri>caueritis et tempus partus aduenerit: si masculus fuerit, ipsum interficite; si femina fuerit, ipsam reseruate.” Obstetrices autem timuerunt Deum et conseruauerunt pueros. Et dixit Pharaon: |80rb| “Quid hoc facere uoluistis, ut pueros conseruaretis?” Et dixit omni populo: “Quicquid masculini generis fuerit, in flumine pro[p]iciatis.” *Hec omnia contingebant eis in figura, set scripta sunt ad nostram edificacionem.* Pueri, id est opera. Puer masculus sunt opera magna, sicut dimittere omnia propter Deum, accipere crucem omnibus diebus uite sue, a carnalibus abstinere. Femina sunt opera parua, sicut ieiunare feria sexta et habere duo fercula piscium. Pharaon autem dyabolus, qui est princeps mundi. Cephora interpretatur spiculans, et significat timorem. Fua interpretatur rubens siue uerecunda uel erubescens, et significat pudorem. Concipit aliquis propositum bonum intrare religionem uel aliquid huiusmodi, occurrit obstetrica sua, scilicet Cephora, id est timor humanus, <quia> timet quod non posset facere penitentiam. *Trepidauerunt enim, ubi non est timor.* Ysa.: *Terrebit eos sonitus folii uolantis.* Set non terret eos sonitus tonitruu magni, quando cum uoce magna dicet Dominus: *Ite, maledicti in ignem eternam.* Istum tonitruum sequitur pluuiam, de qua dicit Psalmista: *Pluet super peccatores laqueos: ignis etc.* Impedit eum Cephora, id est timor humanus. Item occurrit Fua, id est pudor mundanus, et impedit ardua proposita. Cogitat homo, si uelles hoc facere, diceretur quod esses paplardus. Erubescunt recte incedere, non erubescunt claudicare. *Vsquoque claudicatis in duas partes?* Recte incedunt quando aliis bona exempla ostendunt. De hoc erubescunt aliqui, non de malo, Iere.: <Non> *confusi sunt, |80va| et erubescere nescierunt.*

6 Sequitur: *Timuerunt obstetrices Deum, et non fecerunt iuxta preceptum regis, sed conseruauerunt masculos,* id est quando occurrit timor diuini iudicii et pudor peccati, tunc reseruant masculos, id est promouent ad opera ardua, unde in Ecclesiastico: *Qui timet Deum nichil negligit.* Precepit autem Pharaon omni populo ut masculos proicerent in flumine Egypti. Egyptus, id est mundus, flumen, id est uanitas, unde flumen Egypti est uanitas mundi, que superfluit sicut fluuius, quia *transit mundus et concupiscencia eius.* Ieremias: <Quid> *tibi uis in uia⁴ Egypti ut bibas aquam turbidam?* scilicet mundane uanitatis, quam qui biberit, siciet iterum. In flumine quanto plus est aque et maior est ibi fluxus. Vnde addere aquam aque est fluxum fluxu[i]s addere. Similiter quanto maiores sunt delicie, dignitates et diuicie, tanto maior est uanitas. Et masculus in flumen proicitur, quando opera ardua ad mundi uanitatem referuntur. Quando dyabolus opera ardua non potest impedire, uult ea in flumen proicere, id est ad mundi uanitatem referre. Quando aliquis totaliter est in aqua, totaliter submersus

³ quarto] quarta

⁴ in uia] written twice

est. Sic quando aliquis habet pedes affectionis, renes delectationum, cor cogitationum, manus operationum, collum longum et caput intencionum in aqua mundane uanitatis, tunc totaliter est submersus. Dicitur in Ezechiele quod ipse primo fuit *in aqua usque ad talos*, secundo, *usque ad genua*, et tercio, *usque ad renes, et intumuerunt aque profundis⁵ quasi torrentis, qui transuadari non |80vb| potest*. Istud flumen mundane uanitatis infra est arcum siue profundum, quod uix transuadari potest, unde in Ecclesiaste: *Vidi cuncta que erunt sub sole, et uniuersa erant uanitas et afflictio spiritus*. Si oportet illud flumen transuadare, oportet quod homo sit supra aqua iuxta solem ut eius conuersatio sit in celo. Parui sunt qui sunt inferiores celo, et isti submerguntur. Dicit: *quasi torrentis, qui transuadari non potest*. Quando fluuius fluit multum et fortiter, tunc non potest transuadari ex directo, set ex obliquo. Sic mundana uanitas non potest transuadari ex directo, scilicet appetendo, set contempnendo eam.

7 Secundus modus necandi pueros est in igne concupiscentie carnalis. Sic uoluit Nabugodo<nosor> necare set non potuit tres pueros, Ananiam, Azariam et Misaelem, quia noluerunt adorare statuam. Vnde in Daniele: *Nabugodo<nosor> iussit pueros ligatis manibus et pedibus mitti in fornacem ignis. Et precepit ut succenderet fornax septuplum plus quam succendi consueuerat. Et tunc ministri regis succenderunt fornacem napta, stupha, pice et malleolis*. Fornax, id est ignis carnalis concupiscentie. De quo dicit Iob: *Ignis est usque ad consumpcionem deuorans*. Deuorat bona fortune, ut patet in filio prodigo. Deuorat eciam bona gracie et eradicat uulnerando bona nature, quia eneruat corpus, unde Apostolus: *Omne peccatum extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*. In Ecclesiastico dicitur: *Anima |81ra| calida quasi ignis ardens, non extinguitur donec aliquid gluciat*. Carnalis delectacionis ubi transglutitus morsellum, sequitur quandoque langor malus, et quandoque mors. Ita delectacio est momentanea, set sequitur pena eterna, unde Gregorius: "Momentaneum est quod delectat, eternum uero quod cruciat." Set nu<m>quid quando aliquid glut<t>it extinguitur? Certe non! Immo magis augetur, sicut dicitur quod Hely non potuit uidere lucernam donec extingueretur, ergo uidit eam post. Certe non, nec ante nec post! Similiter dicitur: *Ioseph non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum, nec post nec ante cognouit eam*.

8 Tempt<at>ur iuuenis carnis extinguere explendo libidinem. Cogitat quod postea abstinebit, set certe magis auget temptationem. Gutta non aque extinguit magnum [ignum] ignem, set magis eum augmentat. Sic punctalis delectacio auget temptationem. Fornax, id est caro, [fornax] accendetur quando caro delicatis cibariis nutritur. Dicitur quod Nabusardan, pri<n>ceps coquorum, succendet muros Iherusalem. Tunc anima igne concupiscentie succenditur, quando <caro> delicatis cibariis nutritur. Ieremias: *Patres succendunt ignem, carnalis concupiscentie, et filii, id est eorum imitatores, colligunt ligna, id est sunt occasio peccati, et mulieres conspergunt adipem, id est parant fomentum. Fornax succenderetur septuplo plus quam suc<c>endi consueuerat*, quia caro, igne concupiscentie infla|81rb|mata, inclinat ad septem uicia mortalia. Ministri succendunt fornacem napta,⁶ que est quoddam genus fomenti, et sunt ossa oliuarum arefacta. Succendunt igitur napta, id est interiori fomite, stupha,

⁵ profundus] profunde

⁶ napta = naphtha

id est exteriore approximatione mulierum, pice, id est tactu mulieris, et malleolis, id est oculis. *Et iussit rex ligatis manibus et pedibus mitti in fornacem pueros*, id est pueriliter uiuentes. Vnde Iob: *Descendit ignis, et cunctas oues puerosque consumpsit*. Dicit *ligatis pedibus*, id est affectionibus, *et manibus*, id est operationibus, quia in tali peccato absorbetur ratio et ligatur caro.

9 Tercius modus necandi pueros est suspensio superbie et elationis. De quo dicitur libro Machabeorum Antiochus precepit ut suspenderent pueros circumcisos a ceruicibus per uniuersas domos eorum.⁷ Reducamus ad memoriam Christi beneficia et faciamus digressionem. Pueri fuerunt primo circumcisi et postea suspensi. Hoc fuit figura, quia Christus primo est circumciscus, postea suspensus. O uehemens caritas et stupenda humilitas! Vehemens caritas fuit, quod Christus carnem nostram pro nobis assumere uoluit, ut significatur per Sychen, de quo dicitur Sychen, inclitus in domo patris sui, circumcidit se propter Dignam. Digna interpretatur iudicata, et significat naturam humanam, que morti eterne adiudicata fuit, quam Christus pro nobis assumere uoluit. Ista fuit uehemens caritas.

10 Item stupenda fuit humilitas, quod non sufficebat ei uestis damni, |81va| set cauterio latronis uoluit significari. Non restabat nisi quod suspenderetur. Circumciscus fuit non in culpam set in penam, unde dicitur: *Cum s<c>eleratis reputatus est*; Ps.: *Propter uerba labiorum tuorum, ego custodiui uias duras* – alia littera habet: uias latronis. Iussit quod⁸ suspenderent pueros circumcisos a ceruicibus suis, id est homines pueriliter uiuentes, de quibus in libro Sapientie: *<Errauerunt>, more infantium insensatorum loquentes. <Propter hoc> tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedistis*. Puer prefert pomum [et] regno, et plus dolet de amissione alicuius rotundi quam de morte patris, tamen totum amittit in morte patris, quod non habet iustum iudicium. Omnes fere ad statum puerorum sunt reducti, quia dant iudicium non rectum. Iussit quod suspenderent eos a ceruicibus. Pueri a ceruicibus suspenduntur quando aliqui, <qui> solum temporalia querunt, in Ecclesia promouentur, unde Propheta: *Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabunt<ur> eis*. Sic suspendi non est bonum, licet de hominibus, prelati et dignis dicatur: *Suspensum elegit anima mea*. De malis dicitur in Numeris: *Tolle principes et suspendantur ad solem, ut auertatur furor meus a populo*. Tamen populus peccauerat. Dicit *tolle principes*, quasi dicat: Ego uindicabo illos in maiores. Vnde prelati eternaliter puniuntur pro peccatis subditorum.

11 Quartus modus necandi pueros fuit precipitio indiscrete⁹ actionis, unde dicitur Mach. v^o: *Due mulieres delate sunt pueros suos circumcidisse: quorum in|81vb| fantibus ad ubera suspensis, cum per plateas portaissent,¹⁰ per muros ciuitatis precipitauerunt eos*. Aliquando non potest masculum, id est opus arduum, in flumine mundane uanitatis dyabolus submergere, nec in igne carnalis concupiscentie comburere, nec superbia et elacione suspendere, et tunc nititur per indiscretam actionem totum subuertere, unde dicitur: *Et precipitauerunt eos de¹¹ summo <in> preceps¹²*. Iste modus necandi pueros significatur in Genesi, ubi dicitur quod Lamech, qui primus fuit

⁷ erorum] eius

⁸ quod] *written twice*

⁹ indiscrete] et discrete

¹⁰ portaissent] portarent

¹¹ de] in

¹² preceps] princeps

bigamus, habuit duas uxores, fuit cecus, dirigebatur a quodam puero cum uenaretur, non propter usum carniū set propter usum pellium. Vidit puer Caym¹³ latentem inter fructecta,¹⁴ et erat tectus foliis. Vidit ibi puer hominem, et credidit uidere bestiam, et dixit Lamech quod dirigere sagittam et credidit interficere bestiam, et interfecit hominem. Postea iratus interfecit puerum. Sic multi credunt interficere bestiam, id est motus bestiales, <set> interficiunt hominem, id est rationem per indiscretam actionem.

12 Quintus modus necandi pueros est gladio dyabolice temptationis uel tyrannice persecutionis, ut in proposito: *Herodes mittens occidit pueros* – et hoc persequendo Christum. Herodes interpretatur glorians in pellibus, et significat dyabolum, qui gloriatur in peccatoribus. Ossa Ecclesie sunt uiri perfecti, carnes sunt imperfecti, pelles Ecclesie sunt peccatores qui querunt solum temporalia. Pellis est <in> superficie animalis. Similiter peccator est in superficie Ecclesie, quia est solum in Ecclesia nomine. <Sicut> difficile est remouere pellem, et precipue in capite, sic difficile |82ra| est auferre peccatum, et precipue peccatum consuetudinis preualide. *Sicut <non> potest Ethiops mutare pellem suam, sic et uos <non> poteritis bene agere, cum didiceritis male.*

13 H<er>odes uoluit occidere Ihesum, set non potuit, unde dicitur in Iob quod *Caldei fecerunt tres turmas, et interfecerunt omnes pueros; et euasi ego solus.* Tres turme sunt tres concupiscentie, scilicet *concupiscencia carnis, concupiscencia oculorum et superbia uite.* Herodes¹⁵ omnes pueros interfecit, set solus Christus euasit, et illud significatur in Exodo. Iam dixi uobis quod decretum fuit Pharaonis quod omnes masculi interficerentur, set unus, scilicet Moses, euasit. Moyses interpretatur assumptus ex aquis tribulationis, unde dicitur ibi: *Vidit eum mater sua elegantem in membris, abscondit [cum] tribus mensibus,* id est tribus defectibus, scilicet paupertate, asperitate et tribulatione. Vel tribus mensibus, id est tribus temporibus, scilicet tempore legis nature, tempore legis Moysaice et tempore prophetie, in quibus Deus distulit in carnem Filii <aduentum>. Et tamen *non posset eum amplius celare,* scilicet in carnem, *accepit fiscellam <s>cirpeam,* id est humanam naturam, *liniuit eam bitumine,* id est caritate, *posuit eum in ea infantulum,* id est Christum, quando naturam humanam assumpsit, *exposuit eum carecto fluminis,* id est tribulationibus. Inuenit eum filia Pharaonis, id est beata Virgo, fecit eum nutriri donec adultum esset. Adultus autem factus, liberauit populum suum a seruitute Egyptiorum, id est demonum. Rogemus.

COLLACIO

Herodes mittens occidit omnes pueros etc.

14 Sicut |82rb| dicebatur hodie, in uerbis istis tangitur Herodis¹⁶ malicia, cum dicit: *mittens occidit omnes.* Secundo, notatur in puerorum innocencia cum dicit: *occidit pueros,* quia “puer” idem est quod “purus aer.” Herodis malicia perpenditur¹⁷ ex genere operis quia pueros occidit. Intencio et modus operantis notatur cum dicit: *mittens occidit.* “Ille facit, cuius auctoritate fit;” unde lingua istius fuit pro gladio.

¹³ Caym = Cain

¹⁴ fructecta| fructocta

¹⁵ Herodes| Pharaon

¹⁶ Herodis| herodes

¹⁷ perpenditur| perpendere

Malicia intencionis eius perpenditur, que fuit occidere Ihesum, et ideo omnes occidit. De malicia et genere operis, uisum est et dictum est quod quinque modi necandi pueros corporaliter, et similiter quinque sunt modi necandi pueros spiritualiter, scilicet in flumine mundane uanitatis, in igne concupiscentie carnalis, suspendio superbie et elationis, precipicio indiscrete actionis, et gladio dyabolice temptationis et tyrannice persecutionis.

15 Dicendum est modo de modo operandi et malicia operantis, quod notatur cum dicit: *mittens occidit* etc., id est misit ad occidendum dilectissimum, *unum contra unum*, ut dicitur in Ecclesiastico. Missio Herodis fuit contra missionem Christi: missio <Christi> fuit ad uiuificandum, <missio> Herodis uero ad occidendum.¹⁸ De missione Christi dicitur: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit ut uiuamus per ipsum*. Non simus ingrati de isto enchennio.¹⁹ Aliquando enchennium est gratum ex parte mittentis, aliquando ex parte missi, aliquando ex parte eius²⁰ quod immittitur, aliquando ex parte eius a quo suscipitur.

16 Primo dico: est missum gratum ex affectu dantis, scilicet rex |82va| mitteret tibi paruum quid, deberet tibi esse gratum. Quando ad memoriam reduco de me paupere, quantam dilectionem Deus erga me habuit quando enchennium illud nobis misit, tunc debet michi esse multum gratum. Vnde: *In hoc apparuit caritas Dei, quoniam Filium suum unigenitum misit ut uiuamus per ipsum*. Item Apostolus: *Deus, qui est diues in misericordia* etc. Aliquando est enchennium acceptum ex parte deferentis. Set Deus per gratissimam personam, scilicet per beatam Virginem, misit nobis istud enchennium. Ergo de<bet> nobis esse gratum, unde Apostolus: *At ubi uenit plenitudo*²¹ *temporis, misit Deus Filium suum, natum sub lege, factum ex*²² *muliere*. Aliquando est gratum exennium ex parte eius quod mittitur, scilicet quando est magnum; set nullum potuit esse maius enchennium quam illud quod misit Deus Filium suum unigenitum, per omnia equalem Deo Patri. Aliquando est enchennium acceptum ex parte eius a quo recipitur,²³ scilicet quod multum indiget, et sic nobis debet illud enchennium esse gratum, quia *eramus mortui*. Et mortuus nullo plus indiget quam uita. Et per Christum habemus uitam, unde in Ysa.: *Clamabunt ad me a facie tribulantis, et mittam eis propugnatorem qui liberabit eos*. Missio igitur Christi fuit ad uiuificandum.

17 Econtra missio Herodis fuit ad occidendum. Inuenietis de eodem Herode spiritualiter, tres tamen fuerunt ad litteram: primus fuit Ascolonita, secundus fuit Antipas, tercius fuit Agrippa. Herodes misit apprehendere |82vb| illos qui fuerunt de Ecclesia, apprehendens tenuit, tenens afflixit, affligens incarcerationuit et occidit. Ista facit qui uult alium occidere: primo satellites suos mittit; secundo ipsum apprehendit; tercio tenet, postea affligit, incarcerationat et occidit. Ista fecit Herodes loquendo de diuersis. Ista eciam facit Herodes, id est dyabolus spiritualiter, ut significatur in Marco et in Actu. In Marco dicitur: *Misit H<er>odes rex manum et apprehendit Iohannem, et posuit eum in carcerem; et misso spiculatore misit auferri caput Iohannis*. Et in Actu dicitur: *Occidit H<er>odes Iacobum fratrem Iohannis gladio. Videns*

¹⁸ occidendum] occidit

¹⁹ enchennio = exennio

²⁰ ex parte eius] written twice and expunged

²¹ plenitudo] flendo

²² ex] esse

²³ recipitur] recipere

*autem quod placeret Iudeis, apposuit et apprehendit*²⁴ *Petrum, quem cum apprehendisset, posuit eum in carcerem. In crastino uoluit eum occidere, set liberatus est.*

18 Ita facit dyabolus: primo, satellites suos mittit, qui sunt mundus, caro, demonia, tunc dyabolus satellites suos mittit, <id est> malas suggestiones inmittit, Ps.: *Inmissiones per angelos malos*. Apprehendit quando homo suggestioni consentit, tenet quando opere adimpl[er]et, affligit in bonorum spoliacione, incarcerat in peccandi consuetudine, set occidit in morte. Vnde in libro Regum dicitur in primo quod Saul misit satellites suos ut apprehenderent Dauid in lecto suo et ipsum occiderent. Hoc presciens uxor, que uocabatur Micol, dixit ei, et fugit Dauid, |83ra| et saluatus est in die illo. Et posuit ad caput eius simulacrum. Satellites Saulis credebant inuenire Dauid, et inuenerunt simulacrum, et sic decepti sunt. Hoc hodie impletum est in Herode, <qui> uidit quod illus esset a Magis. Dauid interpretatur manu fortis et aspectu desiderabilis, et significat prelatum qui debet habere fortitudinem bone operationis²⁵ et pulcritudinem honeste conuersationis [est], et debet esse in lecto sancte contemplationis, unde in Cantico: *Lectulus noster floridus est*. Veniunt²⁶ ad Dauid, id est ad prelatum, fortem, pulcrum, et in lecto contemplationis iacentem. Dyabolus mittit satellites suos ut apprehendant eum, set saluatur per Michol,²⁷ que interpretatur gracia, et significat gratiam Dei, que prestat remedium contra concupiscentie carnalis uicium. Vnde dicit Apostolus: *Infelix ego, quis me liberabit de carcere corporis huius?* Et ipse dicit: *Gracia Dei per Dominum nostrum Ihesum Christum*. Set quid fecit Micol? Posuit simulacrum ad caput eius. Simulacrum uidetur homo, et non est. Simulacrum ad caput ponere est seipsum nichil reputare. Quantumcumque prelatum fuit sanctus uel religiosus, adhuc nichil est. Vnde Dominus: *Cum omnia benefeceritis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus <facere>, fecimus*. Vtinam sic faceremus! Set quid est? Creditur inueniri Dauid, scilicet fortis, uiriliter, honestus, et sanctus prelatum, et inuenitur simulacrum quia succumbit temptationi.

19 Habemus modo maliciam Herodis ex genere operis et ex modo operantis. Sequitur |83rb| uidere de malicia Herodis ex peruersitate intencionis.

20 Intendebat Herodes occidere Ihesum. Et fuit inimicus nature quia proprios filios occidit. Fuit etiam inimicus innocentie quia innocentes occidit. Et fuit inimicus gracie quia Ihesum actorem gracie occidere uoluit. Ista uult dyabolus perdere per uanam gloriam. Herodes occidit pueros ad significandum quod occidit innocentes de sua innocentia gloriantes. Occidit Iohannem, qui interpretatur in quo gracia, ad significandum quod occidit de gracia gloriantes. Occidit Iacobum, qui interpretatur subplantator, ad significandum quod dyabolus occidit homines de uiciorum uictoria gloriantes. Occidit Petrum, qui interpretatur agnoscens, ad significandum quod occidit de²⁸ sua sciencia gloriantes. Voluit occidere Ihesum, qui interpretatur saluator, ad significandum quod uult occidere de sua salute sollicitos.

21 Primo dico: occidit dyabolus spiritualiter de sua innocentia gloriantes, ut patet in phariseo qui se reputabat iustum et gloriabatur de hoc et totum amisit. Set publicanus, qui se humiliavit et peccatorem reputauit, saluatus est, unde dicitur in

²⁴ apprehendit] apprehendere

²⁵ operationis] operatoris

²⁶ ueniunt] Dauid added after and expunged

²⁷ Michol] Midel

²⁸ de] ad

Iohanne: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsi²⁹ seducimus, et ueritas in nobis non est.* Pu<er>i occiduntur quando de sua innocencia gloriantur. Dyabolus persequitur omnem innocenciam et cordis et oris et intencionis. Vnde dicitur libro Machabeorum quod Caldei fecerunt tres turmas, et occiderunt omnes pueros, id est de sua innocencia gloriantes. |83va|

22 Item decollauit Herodes Iohannem, qui interpretatur in quo gracia, in signum quod occidit de gracia³⁰ gratis data gloriantes. Vnde dicitur quod Herodes misso spiculatore, iussit auferri caput Iohannis Baptiste. Quando aliquis de gracia sibi data gloriatur, tunc a capite Christo separatur. Gloriatur aliquis qui habet pulcritudinem corporis propter nobilitatem generis, et quia gratiam habet legendi et disputandi — hic est Iohannes qui decollatur. Stultus esset qui potius uellet rem amittere quam non de ea gloriari. Tales sunt qui gloriantur de gracia³¹ sua, quia ipsi perdunt eam. Vnde Nabugodonosor quia gloriatus est, amisit regnum suum et comedit fenum ut iumentum. *Quid habes quod non accepisti? Vnde gloriaris quasi non acceperis?* Pueri igitur qui de gracia sua gloriantur occiduntur, Ier.: *Speciosi [sunt] iuuenes tui descendunt in occisionem*, scilicet quando superbiunt. Dixit quidam magister quod "magna gracia est non habere gratiam," quia pauci bene utuntur gra<cia> sua. Vnde: *Inimicus occidit omnem quod pulcrum erat uisu in tabernaculo*³² *Syon*. Aliqui habent bonam intencionem in opere paruo, non in magno. Similes sunt Sauli cui precepit Dominus quod dispergeret *Amalech, et uirum, et mulierem*,³³ *et puerum <et> lactantem*. Amalech interpretatur lingens sanguinem, et significat peccatum quod homo debet dispergere; et uirum, id est consensum in opus, et mulierem, id est consensum in delectac |83vb| ionem, et puerum lactantem, id est primum motum, ne procedat in peccatum,³⁴ licet ipsum penitus reprimere sit impossibile. Et Saul impleuit illud mandatum in reprob<at>is, non in bonis, id est aliqui intencionem habent in paruus, non in magnis. Pauci sunt qui bona opera solum propter Deum faciunt.

23 Item misit Herodes et interfecit Iacobum, qui interpretatur luctator, in quo significatur quod dyabolus occidit de uiciorum uictoria gloriantes. Vincit aliquis gulam, luxuriam, auariciam est Iacobus, frater Iohannis, quia sodalis est gracie. Et tamen ab Herode occiditur, quod significatur in libro Machabeorum, ubi dicitur quod Eleazarus uolebat sibi facere nomen grande uidens elephantem cui credidit incidere; occidit elephantem, <set> cecidit elephas super ipsum et occidit eum. Et dicit ibi Gregorius: "Sub elephante moritur, qui de uitiorum uictoria gloriatur." Superbia de sanctitate nascitur, quia celestis est et corda celestia querit.

24 Item misit Herodes et apprehendit Petrum, et eum occidere uoluit in signum quod dyabolus uult occidere de sua sciencia gloriantes quia *sciencia inflat*. Non loquor de logica uel rethorica, set de illa sciencia qua homo scit se scire. Talis parum s<c>it, et melior est simplex ignorancia quam inflata sciencia. Helyas occidit omnes prophetas Baal gladio. Propheta interpretatur uidens, et significat theologum qui uidet sacram Scripturam. Baal interpretatur |84ra| superior uel uorator. Propheta Baal est theologus qui ordinat scienciam suam ad ambicionem dignitatis et

²⁹ ipsi| ipsos

³⁰ gracia| gloria

³¹ gracia| gloria

³² tabernaculo| tabernaculis

³³ mulierem| mulieres

³⁴ peccatum| peccata

replecionem uentris. Cogitat: Set habens istam dignitatem, posses esse in pace et bene uiuere. Vnde in Daniele dicitur: *Nonne uides quam comedit et bibit?* Et in Ezechiele dicitur: *Nudabunt gladio<s>*, scilicet demones, *super pulcritudinem sciencie tue*, scilicet sciencie Iustiniane, *et detrahent te*, id est deorsum trahent, *et morieris in interitu occisorum in medio mari*, id est amaritudinis. Aliqui toto tempore uite sue student sciencie, non consciencie sue. Dixi frequenter aliquibus: “Confitemini, quia qui non potestis cauere a recidiuo, per confessionem cauebitis.” Et ipsi dicunt[ur] quod non habent tempus. O quantam remorsionem consciencie habebunt quando uidebunt quod non ualebit eis eorum sciencia!

25 Vltimo persequebatur Herodes Iesum, id est de sua salute sollicitum, unde in Luca: *Exi, et uade hinc: quod Herodes querit te <occidere>*. *Futurum enim est ut Herodes querat puerum ad occidendum eum*. Herodes occidit pueros innocentes, Iohannem, Iacobum, apprehendit Petrum, uoluit occidere Ihesum set eum non attingit. Per pueros significatur innocencia, per Iohannem gracia, per Iacobum penitencia siue de uitiis uictoria, per Ihesum, quem non attingit, significatur finalis innocencia.³⁵ Omnes istos occi<di>t Herodes nisi Ihesum, in quo significatur quod nec innocencia, nec gracia, nec de uiciis uictoria siue penitencia, nec |84rb| sciencia ualent sine finali perseuerancia ad liberandum ab Herode quia *qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit*. Quod nobis prestare dignetur qui cum Patre etc.

³⁵ innocencia] *Perhaps* perseuerancia *would be a better reading than* innocencia.

<SERMO 6>¹
<Dominica in Septuagesima>
Dominica in Septuagesima Guillelmi de Lisi Iaco<bite>

Sic currite ut comprehendatis.

1 *Tenebre erant super faciem abyssi.* Karissimi, propter peccatum priorum parentum facte sunt tenebre super faciem abyssi, hoc est, totius humani generis. Tenebre, dico, cecitatis et ignorantie, Psalmus: *Sicut tenebre, ita et lumen eius*; et Saluator in Iohanne: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, Glossa, “cecitatis et ignorantie”; tenebre etiam calamitatis et miserie, Iob: *In tenebris stravi lectulum meum*; tenebre tribulationis et angustie, Psalmus: *Timor et tremor uenerunt super me, et contexerunt me tenebre*; tenebre etiam mortalis culpe, Apostolus: *Fuistis aliquando tenebre: nunc autem lux in Domino*; tenebre dampnationis eterne, in Mt.: *Ligatis pedibus et manibus, proicite eum in tenebras exteriores.* Set *dixit Deus: ‘Fiat lux’. Et facta est lux.* Inter alias luces lux magna est uerbum Dei, quia illuminat hominis intellectum ad Deum cognoscendum, inflamat eius affectum ad eum diligendum. Psalmus: |40vb| *Lucerna pedibus meis uerbum tuum, quoad primum, et lumen semitis meis, quoad secundum.* Et quia ista luce indigemus, rogemus Deum, *qui est lux uera, que illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum*, ut illuminet os et cor meum ad uerbum suum digne pronuntiandum et corda nostra ad retinendum.

Sic currite etc.

2 Sicut scitis hodie sancta mater Ecclesia recolit cursum, immo, ut uerius dicam, casum primi hominis, et in suo casu nos omnes precipitauit. Nec mirum si turpiter cecidit. Qui autem tam <de> sublimi loco in infimum descendit, cecidit a dignitate angelorum ad uilitatem et ignobilitatem iumentorum, Psalmus: *Homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est <iumentis insipientibus>* etc. Cecidit a paradyso uoluptatis in istum locum miserie et penalitatis, in Genesi III²: *Eiecit Dominus Adam de paradyso uoluptatis, ut operaretur terram de qua assumptus est.* De qua terra subdit: *Maledicta terra in opere tuo: |41ra| cunctis diebus uite tue comedes ex ea. Spinis et tribulos germinabit tibi.* Cecidit a libertate spiritus in seruitutem carnis, quia ante peccatum spiritus dominabatur carni, ratio spiritui, intellectus sensui(?), Spiritus Dei omni[a] homini. Set heu, homine peccante, *uniuersum stratum uersasti in infirmitate eius!* Cecidit a statu gracie ad statum culpe, a statu culpe in statum miserie, a statu miserie in statum tribulationis et angustie, a statu tribulationis in statum mortis. Iste sunt septem penalitates que apprehenderunt uirum illum in die³ illa. Ideo mater Ecclesia in principio misse cantat canticum doloris, canticum mortis: “Circumdederunt me gemitus mortis.” Hinc tempore isto tacetur canticum leticie; non cantatur plus “Alleluia,” quia dicitur in Psalmo: *Super flumina Babilonis <illic sedimus et fleuimus>*

¹Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 40va-44rb. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 478, n. 12; TH. KAEPPPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1548. The title and adscription are located on f. 40rb.

² III] *written above line*

³ illum in die] *written twice*

etc.; sequitur: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* In ista terra misera ponit Ecclesia uiellam sub sanctua | 41rb | rio. Hinc hodie non sunt nupcie in Ecclesia, quia hoc promiserat Deus per Ieremiam, VII 6: *Quiescere faciam ex urbibus Iuda et Ierusalem, uocem gaudii et leticie, uocem sponsi et sponse*. Ideo Apostolus in epistola hodierna monet nos omnes, ut curramus non sicut Adam, qui cecidit a statu gracie ad statum culpe, set ascendendo a statu culpe ad statum gracie, a statu gracie ad statum glorie. Sicut enim in cursu materiali sunt tres termini, terminus a quo, per quem, et ad quem, sic in cursu spirituali sunt tres termini, a quo culpe, per quem gracie, ad quem glorie. Homo erat in statu medio gracie, et cum debuisset ascendisse ad statum glorie, cecidit in statum culpe.

3 Tria ergo notantur in uerbis istis: primo Apostolus ad currendum⁴ nos inuitat cum dicit: *currite*; secundo currendi modum insinuat: *Sic*; tercio premium currendi ostendit: *ut comprehendatis*.

4 Primo dico: inuitat nos Apostolus ad currendum. Legimus in Scriptura sacra qua | 41va | druplicem cursum et quadruplicem uiam currendi: primus cursus est naturalis uite, secundus mortalis culpe, tercius gracie, quartus glorie.

5 De primo cursu nature dicitur in Iob IX: *Dies mei uelociiores fuerunt cursore; fugerunt, et non uiderunt bonum. Transierunt quasi naues poma portantes, et sicut aquila uolans ad escam*. In ista auctoritate quatuor tanguntur que sunt in hac misera uita.

6 Primo ostenditur quod est transitoria et momentanea cum dicit: *Dies mei uelociiores etc. Transit mundus, et concupiscentia eius. Transierunt omnia uelud umbra*. Psalmus: *Vidi impium superleuatum etc.*; sequitur: *Transiui, et ecce non erat*.

7 Secundo ostendit quod est erumpnosa cum dicit: *Fugerunt, et non uiderunt bonum*. Minus dicit et plus significat. *Non uiderunt bonum*, immo omne malum, quia uita ista plena est miseriis, Iob: *Homo, natus de muliere, breui uiuens tempore, <repletur multis miseriis> etc.*

8 Tercio ostendit quod est periculosa cum subdit: *Transierunt | 41vb | uelud naues etc.*, quia sicut naui in mari semper est in periculo subuersionis, sic homo in mari huius mundi semper est in periculo dampnationis. Et sicut in mari maior piscis deuorat minorem, sic in hoc mundo diues opprimit pauperem, magis potens minus potentem. Ergo sicut homo qui est in mari semper timet ne submergat, sic debet homo timere ne propter peccata sua in mari huius mundi dampnetur.

9 Quarto notatur quod est fastuosa et superba <cum dicit>: *et sicut aquila etc.* Ultra hoc sunt homines superbi et elati: *Quid superbis terra et cinis?* Non est aliquis cursor quin aliquando quiescat, scilicet comedendo uel dormiendo. Homo autem continue currit ad mortem statim ut nascitur. Ideo dicebat illa bona mulier, IIo Reg.: *Omnes morimur*. “Omnes” dicit, et ita nullum excipit, non regem, non papam. Magna est consolatio pauperibus quando diuites ita moriuntur, forte cicius, ut pauperes. Non dicit “moriemur,” set “morimur,” quia semper | 42ra | currimus ad mortem statim dum uiuimus, ut dictum est. Ideo sequitur: *et quasi aque dilabimur super terram, <que non reuertuntur>*. Sicut aque semper currunt ad mare nec reuertuntur ad locum suum, sic homo semper currit ad mortem sine spe reuersionis. Vnde qui quereretur a puero statim nato: “Quid agis?” si posset loqui, diceret: “Ego curro ad mortem.” Iste

4 currendum] cursum

cursus est quidam processus ab etate in etatem, ab infancia in puericiam, a puericia in adolescentiam, ab adolescentia in iuuentutem, a iuuentute in senectutem, a senectute in senium, a senio in decrepitam etatem.

10 Est secundus cursus mortalis culpe, de isto in Prou.: *Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem*. Peccare cum infirmitate carnis <et> cum remorsu conscientie minus malum est quam ad peccatum currere, quia hoc est unum de illis sex que odit Deus: *Pedes ueloces ad currendum in malum*.

11 Legitur de quodam fratre Iacobita, qui ibat in predicatione et uidit |42rb| duas mulieres ornatas currentes ad lupanar, et clamauit post illas: "Pro dulcissima misericordia Dei! Quare ita cito curritis ad infernum? Si uultis ibi ire, saltem lento gradu incedatis." Magna insania est hominem aliquem currere ad ignem ut comburatur, ad aquam ut submergatur, ad patibulum ut suspendatur. Luxuriosi currunt ad ignem, Iob: *Ignis est usque ad consummationem deuorans*; Iere.: *Repleta est terra adulteris*; et post pauca: *Non est qui agat penitentiam dicens: 'Quid feci?' Set omnes quasi equus cum impetu uadens <ad prelium>*. Sicut equus impetuusus non potest teneri, sic nec isti luxuriosi. Cupidi <currunt> ad aquam ut submergantur, Paulus ad Timotheum: *Qui uolunt diuites fieri, incidunt in laqueos et temptationes dyaboli, et desideria multa <inutilia> et nociua que submergunt hominem etc.* Superbi currunt ad patibulum ut suspendantur, Iob xv⁵: *Cucurrit aduersus Deum collo erecto* – loquitur de superbo. Qui sic currunt |42va| in magno periculo sunt. Si essent supra pin<n>aculum templi Beate Marie, non possent uidere suum infortunium. Nec mirum. Via illorum est periculosa, quia *pedes eorum ad malum currunt*. Via lubrica, et qui in lubrico uadit non potest esse quin ruat. Sic qui in peccato, quia homo de facili cadet de uno peccato in aliud, de peccato gule in peccatum luxurie. Item dyabolus impellit eos, Psalmus: *Fiat uia illorum tenebre et lubricum; et angelus Domini, scilicet malus, persequens eos etc.* Item in momento cadunt, Iob: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*.

12 Est tercius cursus gracie. Iste est de bono in melius proficiendo, Psalmus: *Ibunt de uirtute in uirtutem etc.* Tales uadunt a statu culpe culpam deserendo ad statum gracie proficiendo, et a statu gracie ad statum glorie finaliter perseuerando. De isto cursu, Ysa.: *Qui sperant in Domino, non in mundo, mutabunt fortitudinem*, ut sicut fortes fuerunt⁶ ad peccandum, ita fortes erunt |42vb| ad bene operandum. Sequitur: *Assument pennas ut aquile*; de quibus Psalmus: *Quis dabit michi pennas sicut columbe etc.?* Volabunt in presenti per bona opera. Sequitur: *Current et non deficient*. De isto cursu dicit Apostolus ad Hebreos: *Deponentes omne pondus, et circumstans <nos> peccatum, per pacientiam curramus ad propositum [uestrum] nobis certamen: aspicientes in a<u>ctorem <fidei> et consummatorem Ihesum Christum*. In ista auctoritate tangit sex condiciones peccatoris in hoc cursu gracie, de quibus, si una defuerit, nil ualent alie. Prima est exoneratio a peccatis, cum dicit: *Deponentes omne<s> pondus etc.* Et quia non sufficit declinare a malo, immo oportet facere bonum. Hee sunt due partes iusticie, Psalmus: *Declina a malo, et fac bonum*. Ideo sequitur secunda condicio, profectus in operibus bonis, cum dicit: *curramus*, hoc est, currendo proficiamus. Et quia perlongam uiam ire habemus, ne deficiamus necessaria est nobis paciencia, hoc est

⁵ xv] added in the margin

⁶ fuerunt] ita added after, and deleted

quod subdit: |43ra| *per pacenciam*. Et quia dyabolus est nobis⁷ in nocumentum, ideo necessaria est nobis quarta condicio, pugna contra hostem antiquum, cum dicit: *ad propositum nobis certamen*. Quinta condicio est rectitudo intencionis cum dicit: *aspicientes in a<u>ctorem*. Sexta perseuerancia finalis <cum dicit>: *et consummatorem Ihesum*, id est Ihesus Saluator; et: *Qui perseuerauerit usque in finem, saluus erit*.

13 Et notabiliter dicit *deponentes omne pondus*, scilicet peccati; maxime enim pondus est peccatum mortale. Omnia pondera huius mundi non tantum ponderant quantum unum superbie peccatum. Hoc aperte possumus uidere nichil subtilius angelo, nichil superius celo, nichil inferius inferno, et tamen in momento peccatabilis superbie de celo precipitauit primum angelum in inferno, unde in Luca: *Videbam Sathanam quasi fulgur de celo cadentem*. Si ergo unum peccatum mortale tanti est ponderis, quare homines, qui sunt in tot mortalibus peccatis, non sentiunt pondus illud? Respondeo: Nauis que |43rb| est extra aquam plus ponderat quam si esset in aqua propter fluxibilitatem aque. Nauis enim in aqua propter fluxibilitatem aque modico uento mouetur, que quando est extra aquam a multis hominibus non posset moueri. Ita isti quamdiu sunt in aquis deliciarum carnis, diuitiarum, honorum et dignitatum⁸ non sentiunt pondus illud, set quando separabitur anima a suo corpora, tunc bene sentient in inferno pondus illud.

14 De quarto cursu glorie, in libro Sapientie: *Fulgebunt iusti, et tanquam scintille in arundinetis discurrent*.

15 Set per quam uiam debemus currere? Set ostenditur quod per quadruplicem: per uiam innocencie, per uiam penitencie, per uiam mandatorum, per semitas consiliorum.

16 Prima per uiam innocentie. De hac Psalmus: *Sine iniquitate cucurri et direxi*. Via ista recta est: *Non declinat ad dexteram, nec ad sinistram*. Per hanc incessit primo Saluator noster, qui peccatum non fecit. Et bene dicit *cucurri et direxi*, |43va| quia qui est in peccato mortali, quicquid boni faciat, non appropinquat terminum quo ire tendit, scilicet celum. Sicut si uellem ire ad Sanctum Dionysium et irem per⁹ [nostram]¹⁰ de campis, ita peccator in mortali, quantacumque bona faciat, non appropinquat celum. Ista uia habet tres dietas: puritatem cordis, oris, et operis. De qua triplici Ps.: *Quis ascendet in monte Domini* etc.?

17 Set quia accidit sepius de aliquo quod amisit uiam suam non potest redire ad eam, sicut qui amisit uirginitatem non potest recuperare eam, ideo necessaria est sania, scilicet penitencie, de qua Iere.: *Vide uias tuas in conualle, scilicet humilitatis, scito quid feceris: et quasi cursor leuis explica<ns> uias tuas*. Vide peccata tua, et peccare cessa! Dolere enim debet peccator de malis que commisit et de bonis que om<m>isit.¹¹ Secundo dicit: *et quasi cursor leuis* etc. Ista uia habet tres dietas: cordis contricionem, oris con|43vb|fessionem, operis satisfactionem. Multi tamen deuiant in uia ista, de quibus Ps.: *Errauerunt in solitudine* etc. Incipiunt a tertia dieta, ieiunant in Quadragesima, elemosynas dant, orant et multa alia bona faciunt, et in fine Quadragesime peccata sua confitentur. Volunt ire in paradysum retrorsum, id est *a rebours* sicut *l'escreueice*. Non est ordo rectus se saluandi, immo debet precedere

⁷ in] written above the line

⁸ dignitatum] dignitati

⁹ per] ad added after and expunged

¹⁰ nostram] might be a scribal error for Martinum (de Campis)?

¹¹ ommissit] comisit written and c expunged

contritio cordis, et post, confessio oris, et post, satisfacere de peccatis suis.

18 Est tertia uia mandatorum. De ista Psalmus: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Bene dicit *cum dilatasti*, quia homo non currit nisi per latam uiam, et uia mandatorum lata est, quia omnia mandata Dei, maxime mandatum caritatis, equaliter oportet impleri in longitudine cordis et latitudine, Ps.: *Latum mandatum tuum nimis*. Dicit ante: *Omnis consummationis uidi finem*. Qui dicit “omne” nichil excipit. Qui caritatem haberet in omni uita sua, |44ra| et in fine non haberet, nichil sibi ualeret. Item qui omnes homines diligeret, et unum odio haberet, nichil esset. Ideo istud mandatum est longum et latum, ideo dicit “nimis.” Quando aliquis habet de uino pro se et pro familia sua, satis est; quando pro se et familia sua¹² et amicis suis, multum est; quando pro se et familia, pro amicis et inimicis, nimis est, ut si mitteret aliquis dolium uini inimico suo, nimis esset. Tale mandatum est de caritate, quia Dominus uult quod diligamus inimicos nostros, unde ipse ait: *Diligite inimicos uestros, benefacite hiis qui oderunt uos* etc.

19 Quarta uia est semita consiliorum. De qua in Prou.: *Ducam te per semitas equitatis*, Glossa, “religionis”; *quas cum ingressus fueris, non ar<c>tabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum*. Semit[t]a ista est religio; ista semita recta est. Sicut semit[t]a est rector uia ueniendi ad locum, uia publica, sic uia religionis, uia mundi. |44rb| Hoc uidere possumus: medium est quod non exit ab extremis. Vita ista¹³ incipit a paupertate, uilitate, et ibi terminatur. Et ista tria sunt in religione. Si ergo religio habet ista tria <consilia>, ergo rector uia. Saltem qui non potest ire per semitam consiliorum <et> qui non uult claustrum intrare, eat per uiam

¹² sua] satis est added after and deleted

¹³ ista] added in the margin

<SERMO 7>¹
<Dominica in Septuagesima>
Sermo in eadem dominica fratris Guillelmi Iacobite de Luxi²

Multi sunt uocati, pauci uero electi, Mathei XXI_a.

1 Inter multos modos quibus³ Dominus uocat, quatuor sunt principales. Primus per increpationem. Sic hodie uocauit Dominus Adam post peccatum: *Adam, ubi es?* id est in quam miseriam cecidisti per peccatum tuum? Ita Deus uocat peccatorem: “Miser peccator, ubi es”? Posset respondere Deo: *Infixus sum in limo profundi et non est substantia*. Vnde in persona Adam et peccatorum cantatur hodie: “Circumdederunt me gemitus mortis.”

2 Secundo, uocat Dominus per consilium et inspirationem, Ysa.: *Consilium meum stabit*, id est debet stare, *et uoluntas mea fiet*. Set certe consilium hominum magnatum amatur et eligitur, et consilium Dei despicitur, de quibus Ps.: *Consilium Altissimi irritauerunt*. Set audiant tales illud Prouerbiorum: *Despexistis omne consilium meum. Ego uero in interitu uestro ridebo*, hoc est de uobis in morte non curabo.

3 Tercio, uocat nos⁴ Dominus per beneficiorum collationem. In Prou.: <Quia> *uocauit, et renuistis; expandi manus meas*, Glossa, “ad beneficia,” *et non fuit qui aspiceret*. Set bene fuit qui acciperet.⁵ Multi beneficia Christi accipiunt, set non aspiciunt, immo ingrati sunt.

4 Quarto, uocat nos Dominus per predicationem. In Math.: *Simile est regnum celorum homini regi, qui fecit cenam magnam, et misit seruum suum hora cene uocare inuitatos*. Seruus iste est ordo predicatorum, qui, licet plures sint in se, tamen idem predicant et ad eundem finem tendunt; de quorum numero cum sim unus et indignus, rogemus primo Deum etc. | 51rb **P1** |

*Multi sunt uocati, pauci uero electi, Mathei XXI_a.*⁶

5 Verba ista scripta sunt in fine euuangelii, in quibus notantur duo: primo Dei misericordia: *Multi sunt uocati*; secundo eius iusticia: *pauci uero electi*. In primo eleuatur spes nostra ex consideratione diuine misericordie. In secundo incitatur nobis timor ex consideratione diuine uindictae. Hee sunt due mole inter quas debet conteri cor peccatoris, ut fiat inde uerus panis frumenti, de quo Ps.: *Fuerunt michi lacrimae mee panes die ac nocte* etc.

6 Sicut scitis in Ecclesia hodie recolitur dies anniuersarius primi hominis de lapsu eius, cuius lapsum Deus ab eterno preuidit. Verum quia *misericordia Dei ab eterno est, et usque in eternum timentibus et diligentibus eum*, ideo totum euangelium est de Dei misericordia circa uineam suam, scilicet animam fidelem. Et ostenditur in presenti <euangelio> hoc misericordia Dei erga animam ex quatuor: primo, ex diligenti cura excolendi; secundo, ex multorum multiplici uocatione; ter<c>io, ex longanimitate expectatione; quarto, ex habundanti remuneratione.

7 Primo dico: ostenditur misericordia Saluatoris nostri in presenti euangelio ex sollerti cura excolendi uineam suam, id est fidelem animam, cum dicit: *Simile est regnum celorum*

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from base manuscript: (**P1**) Paris, Bibl. Nationale, lat. 14923, ff. 51ra-52rb (§1-13). **P1** ends at the end of §13. Second manuscript witness: (**P2**) Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 44rb-47rb (sole manuscript from §14 to §17); J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 478, n. 13; TH. KAEPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1549.

² Rubric from Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 44rb.

³ quibus] quos **P1**, quibus nos **P2**

⁴ dominus] nos added after, but a scribal mark indicates that it should be placed before dominus **P1**

⁵ acciperet] aspiceret **P2**

⁶ Mathei XXIa] added above the line **P1**

homini patrifamilias etc. Homo iste Christus est, qui exiuit de sinu Patris in uterum Virginis, <de utero Virginis>⁷ in mundum, de mundo ad crucis patibulum, de cruce ad celum. Exiit mane hora tertia et aliis horis, unde Ps.: *Exibit homo ad opus suum* |51va P1| etc. Ipse conduxit operarios uinitores, scilicet predicatorum, in uineam suam. *Dominus Deus prius plantauerat paradysum uoluptatis a principio, in quo posuit Adam*. Set propter suum peccatum expulit eum, modo transplantauit uineam istam in cruce sanguine suo, et posuit omnem curam excolendi eam, sicut facit paterfamilias in uinea sua. Ista uinea, scilicet fidelis anima, primo stercorizatur in propriorum peccatorum recordatione, unde illud: *Recogitabo tibi omnes annos meos*, foditur in cordis contritione, putatur oris confessione, paxillatur, id est Christo coniungitur in operis satisfactione. Fructus maturatur in finali perseuerancia, uindemiatur in morte, set uinum bibitur in eterna claritate. Et licet Ihesus Christus tam diligenti cura excoluerit uineam suam, nichilominus tamen ipsam dereliquit, et ꝥabaliena ab eo crucifixit eum, ꝑin cuius persona conqueritur per Prophetam: *Ego plantaui te uineam meam electam; quomodo conuersa es in amaritudinem?* Maxima fuit amaritudo quando Barrabas latro et homicida fuit dimissus et Christus innocens fuit crucifixus.

8 Secundo, ostenditur Christi misericordia in presenti euangelio ex multorum multiplici uocatione, quando uocauit omnes. Et omnibus horis uocat: mane pueros, hora tertia adolescentes, meridie iuuenes, nona senes, undecima hora in decrepita etate existentes. |51vb P1| Magna Dei misericordia quod uocat nos Deus ita feruenter; magnus contemptus illorum qui nolunt uenire. Qui sunt in puericia expectant adolescentiam, adolescentes iuuentutem, iuuenes senectutem, senes decrepitam etatem. Set malum de talibus qui iuuentutem suam ponunt in seruicio dyaboli <et> senectutem uolunt ponere in seruicio Dei. Non attendunt tales quod bonum principium adducit bonum medium, bonum medium bonum finem. Et sic tota salus hominis dependet ex etate. Talibus expectantibus terribiliter loquitur Ysaia: *Et erit eis <uerbum Domini>*, scilicet qui dicunt: *Manda, remanda; expecta, reexpecta; ut uadant*, a peccati delectatione in opere, *et cadant*, a consensu in opere, *et capiantur*, a diabolo in morte, *et illaqueentur*,⁸ eterna combustionem.

9 Tercio, ostenditur misericordia Dei ex longa expectatione, Ysaiah dicit: *Expectaui⁹ usque ad senectutem*,¹⁰ *et usque ad canos portabo*. Contra illos qui expectant Dominum expectantem dicit Apostolus ad Romanos: *An ignoras quod benignitas Dei ad penitentiam te adducit?* Vel adducit, hoc est te adducere querit. *Tu autem secundum duriciam cordis tui, et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die iudicii*. Isti faciunt thesaurum de ira Dei. Set sicut thesaurus malus non simul aggregatur, set per partes, et aliquando simul totus expenditur, sic fiet in iudicio, scilicet quod |52ra P1| punientur peccatores simul et semel de omnibus peccatis. De quibus, dico, non fuerunt confessi. Optimum signum salutis est quando homo in hoc mundo non querit diuicias, dignitates et honores, set solum ut possit transire ad patriam. Qui non intendit hic thesaurizare – hic est sapientissimus. Hoc ostendo. Dicit Iohannes in canonica sua: *Totus mundus in maligno est positus*, scilicet malo igne. Qui esset in domo totaliter accensa igne non multum curaret ibi facere thesaurum uel ferre secum diuicias, set solum quomodo posset se liberare ab incendio. Sic¹¹ est de hoc mundo, tantum creu<it> ignis huius mundi quod fumus noc<et> uicinis, scilicet religiosis, unde Ioel: *Ad te, Domine, clamaui, quia ignis deuorauit speciosa deserti*, scilicet religionis.

⁷ de utero uirginis P2

⁸ illaqueentur] illaqueantur P1

⁹ expectaui] written twice P1

¹⁰ senectutem] senectam P1 P2

¹¹ Sic] written twice P1

10 Quarto, apparet misericordia Dei in presenti euuangelio ex habundanti remuneratione. Pro minimo labore dat Deus magnum premium, scilicet regnum celorum. Hec remuneratio patet ex epistola et ex euuangelio: nam quia in epistola promittitur bene currentibus brauium, in euuangelio promittitur laborantibus denarius diurnus.

11 Nota <quod> in denario sunt quatuor, scilicet claritas argenti, forma, scilicet rotunditas, ymago regis, et superscriptio. Per claritatem argenti significatur claritas patrie celestis, per rotunditatem eternitas, per ymaginem similitudo deformis, set per superscriptionem eterna iocunditas et leticia. Tunc Christus erit omnibus omnia, scilicet denarius operantibus, merces operantibus, brauium currentibus, corona pugnantis. Sic habemus primum principale huius |52rb P1| sermonis, ubi ostenditur misericordia nostri Saluatoris: *Multi sunt uocati*.

12 Sequitur secundum principale huius sermonis, ubi ostenditur seueritas iusticie eius: *pauci uero electi*. Set contrarium uidetur haberi in Psalmo: *Dinumerabo eos, et super <h>arenam multiplicabuntur*. Et Dominus dixit Abrahe: *Respice stellas celi, sic multiplicabo semen tuum*. Quomodo ergo pauci electi, cum <h>arene maris et stelle celi non possunt numerari?

13 Ad quod dicendum quod in comparatione ad reprobos electi sunt pauci. Ita loquitur hic Dominus. Vel quia electum est ita¹² preciosum, et licet multi sint, tamen pauci reputantur, sicut quando aliquis comedit unum bonum morsellum et queritur ab eo si bonus est, dicit quod sic, hoc tamen sentit ei parum: 'Il li senble petit.' Similiter si aliquis habeat multos lapides preciosos, paucos tamen reputat propter preciositatem eorum. Ita uere pauci electi respectu reproborum.¹³

14 |46va P2| Set ut uideamus qua electione loquitur, nota quod triplex est electio: prima generalis, secunda specialis, tertia priuilegiata. Prima competit omnibus clericis et laicis, secunda religiosis et prelatis, tertia apostolis et uiris sanctis.

15 De prima dicitur in Mt.: *Simile est regnum celorum sagene misse in mare*; et post pauca aliqua: *elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt*. Ista ergo electio generalis competit bonis et malis. Hec sagena est Ecclesia; sicut enim in sagena sunt boni pisces et mali, sic in Ecclesia sunt boni uiri et mali. Et multociens plures mali quam boni, set non apparent hic boni propter malos; sicut granum in palea tegitur, et multo plures palee quam grana. Set bene apparebunt in die iudicii, quando *exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis*. |46vb P2| Hec ergo electio competit bonis et malis.

16 Secunda electio specialis competit prelatis Ecclesie. De ista Petrus: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; et Deutero., VII capitulo: *Elegit te Dominus Deus tuus, ut sis ei populus pec[culiaris pre cunctis]¹⁴ populis, qui sunt super terram*; Ps.: *Vos elegit Deus in hereditatem sibi*. Hec electio pertinet ad doctores et prelatos qui meliores debent esse aliis et preeminere in uita et doctrina, quia sunt capud aliorum. Et sicut capud infundit membris sensum et motum, sic prelati debent infundere subditis sensum bone doctrine et motum operationis bone. Hoc figuratum est primo Regum de Saule quando electus fuit in regem et principem totius populi Ysrael: *In medio totius populi apparuit altior omnibus, ab humero et sursum*. Et dixit Samuel populo: *Videte, quod non sit ei similis in populo*. Similiter non debet esse similis prelato in populo. Set ipse |47ra P2| Saul, qui prius fuit bonus, postea fuit pessimus, unde dicitur ibi quod regnauit duobus annis in Israel, non quia plus non rexerit, immo plusquam decem annis, set solum bene rexit duobus annis. Sic multi prelati boni sunt in

¹² ita] P2, id est P1

¹³ P1 ends here. From this point forward P2 remains the sole witness to the rest of this sermon

¹⁴ cunctis] cinctis P2

principio, qui postea sunt pessimi. Et hoc aliquando accidit exigentibus meritis subditorum, ut subditi habeant malum prelatum, quia capud debet conformari membris.

17 Est tertia electio priuilegiata, et tantum ista competit sanctis uiris et iustis, de hac in Luca: *Maria optimam partem elegit* etc. Et Veritas discipulis: *Non uos me elegistis, set ego elegi uos*. Nota: Contraria est electio Dei mundane electioni. Mundus eligit diuites, potentes, sapientes, illos qui bene possunt iura sua defendere, intendentem ad lucrum corporum. Econtra Deus eligit pauperes intendentem ad fructum animarum, de quibus I ad Cor.: *Vidite uocationem uestram fratres, quoniam* |47rb P2| *non multi*¹⁵ *nobiles, non potentes, non sapientes: set que stulta sunt elegit Deus, ut confundat fortia; ut non gloriatur omnis homo*. Ad hoc finaliter debet homo tendere, ut in omni opere suo non appetat humanam gloriam set diuinam, ut in futuro acquirat sibi eternam. Quod nobis etc.

¹⁵ multi] multum P2

<SERMO 8>¹

<Dominica in Sexagesima>

<Ser>mo in prima d<om>inica <post> Septuagesimam fr<atris>

Guill<elmi> de Luci

<S>ufficit tibi gracia mea.

1 Et si gracia Dei sufficere debeat omnibus, precipue habundantia graciae debet sufficere. Apostolus Paulus non solum habuit gratiam Dei, set superhabundantiam graciae, *quia ubi habundauit delictum, superhabundauit² et gracia*. Et beatus Paulus plus habundauit in dono graciae quam in peccato habundauerat, quia ex Dei misericordia plus habundauit in gracia quam prius in peccato. Respiciatis epistolas Pauli, in quibus ostendit superhabundantiam graciae in ipso. Nusquam ostendit ita superhabundantiam graciae in tantum sicut in epistola hodierna. Videtur se iactare, set non est iactancia quia recitat bona sua, set coactus, unde dicit: *Factus sum insipiens: uos me coegistis*.

2 Recitat bona sua ad Dei glorificationem et pseudoprophetarum repressionem, ad Corintheorum prouocationem, et ad nostram edificationem. Inter alia que dicit in fine epistole, quatuor dicit precipue bona: <primo> eius raptum siue eleuationem ad diuinam uisionem siue ad tertium celum. Tercium celum dicitur tertium genus uisionis. Prima uisio est corporalis, secunda est ymaginaria, et tertia est intellectualis, qua uidetur Deus aperte, sicut uident eum angeli – ista uisio facta fuit Apostolo. Secundo recitat diuine dulcedinis pregustationem. Raptus iste fuit non solum ad tertium celum, set ad paradysum – nomine paradysi diuina dulcedo designatur. Tercio recitat diuinorum secretorum reuelacionem, quia *audiuit³ archana <uerba> que non licet homini loqui*. *Oculus*, inquit, non uidit, nec auris audiuit etc. Quarto recitat de futuris premiis assecurationem.

Vnde dicit:

Et dixit michi Dominus: ‘Sufficit tibi gracia mea’.

3 In quibus uerbis tangit sufficienciam diuine graciae <cum dicit>: *Sufficit*; secundo, graciae efficaciam cum dicit: *tibi*; tertium est graciae acceptacio cum dicit: *gracia mea*. Verum est quod sufficit gracia Dei. Set uerbo Dei possumus addere quod nichil aliud quam gracia Dei sufficit in presenti, et in futuro nichil sufficit nisi gloria, dicat igitur: Sufficit tibi gracia mea et nichil aliud.

4 De primo, scilicet quod⁴ sufficit gracia Dei, notandum quod si aliquid esset uenale quod esset tante uirtutis, quod qui illud haberet omnia haberet, omnia sciret, omnia posset, nihil mali posset ei accidere, et si aliquid mali accidisset ei, illud conuerteretur ei in bonum, non posset morte subitanea mori, et quando moreretur⁵

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from base manuscript: (T) Troyes, Bibl. Municipale 951, ff. 19v-22r. Second manuscript witness: (B) Bruxelles, Bibl. Royale, 21861, ff. 55rb-59rb (without rubrics). J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 477, n. 3 and 4; TH. KAEPPÉL, *Scriptores*, v. 2, p. 110, n. 1536.

² super-] ibi written and expunged, and super added above the line T

³ audiuit] uidit T

⁴ quod], nichil aliud added after and deleted T

⁵ moreretur] perpetuaretur added after and deleted, and moreretur added above the line T

uita eius perpetuaretur et regnum in⁶ morte acquireretur, certe rex daret libenter regnum suum pro illa re! Illud potest facere gracia.

5 Primo dico: qui habet gratiam habet omnia, unde Apostolus: *Omnia uestra sunt, siue mundus, siue uita, siue mors, siue presencia, siue futura: uos autem Christi; Christus autem Dei.* Iustus habet omnia quia de omnibus facit utilitatem suam, unde in libro Sapientie: *Venerunt michi omnia bona cum illa.* Ergo illa recedente recedunt omnia bona. Mali de nullo faciunt utilitatem suam respectu uite acquirende, de bonis aliorum faciunt suum da<m>pnum. *Excecauit eos malicia eorum.* Vnde in Malachia: *Maledicam benedictionibus eorum.* Item in libro Sapientie: *Maledicta creatura eorum.* Dominus dixit Moysi: *Inuenisti gratiam coram me, <et> te noui ex nomine tuo. Ostendam tibi omne bonum.* Differt ‘ostendere’ in temporalibus et in spiritualibus: in temporalibus ‘ostendere’ hoc non est ‘dare,’ set in spiritualibus ‘ostendere’ est ‘dare,’ unde ‘ostendere Dominum’ est ‘dare Dominum’. *Iustus deduxit Dominus per uias rectas; et ostendit illi regnum Dei,* id est dedit ei. Iusto omnia cedunt in salutem. Pauper de regno Francie facit suam utilitatem ipsum contempnendo. Igitur qui habet gratiam habet omnia.

6 Item qui habet gratiam scit omnia, scilicet ad salutem necessaria. Vna uetula quandoque plus scit de necessariis ad salutem quam unus magnus philosophus. Vnde dicitur in Iohanne: *Vnctio uos docet⁷ de omnibus.*⁸ Apostolus: *Ap<p>aruit gracia Domini nostri Ihesu Christi omnibus hominibus, erudiens nos,* scilicet preterita peccata ad detestandum, presencia bona ad contemplandum, futura pericula ad precauendum, Dei mandata ad implendum, futura supplicia ad timendum, et promissa premia ad desiderandum, *omnium artifex docuit eum.*

7 Item qui habet gratiam habet⁹ omnia, scilicet ad salutem necessaria potest pati et agere, unde Apostolus ad Philippenses: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Libenter mutarent aliqui statum suum, set timent sibi quod non possent perseuerare. Cogitat: Deliciosus sum, non possem continere. Facile est omnia sustinere cum gracia, unde ad Timotheum: *Fili¹⁰ mi gracia Dei confortare.*

8 Item qui habet gratiam nichil mali potest ei accidere. Peccatum non potest esse cum gracia. Vere malum est quod a uero bono separat. Hoc facit peccatum. Iniquitates |20r| nostre diuiserunt inter nos et Deum nostrum. Augustinus dicit quod malum dicitur, eo quod nocet. Set nulla nocebit aduersitas, si non dominetur iniquitas. In Christo nullum fuit malum. Set fuit in eo malum pene et tribulacionis. Ergo hoc non est uere malum. Super illud, *Habitabit lupus cum agno,* dicit Glossa: “Audient nichil bonum nisi uirtutem, et nichil malum nisi uicium.”

9 Item qui habet gratiam, si acciderit ei malum, illud commutatur ei in bonum, quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, “etiam mortalia peccata,” ut dicit Glossa, “quia sunt occasio non accepta set data.” Vnde in libro Sapientie: *<In> omnia transfigurata, nutriti gracie tue desueribat.*¹¹

10 Item qui habet gratiam non potest mori subitanea morte. Verum est quod potest preoccupari morte, quia *iustus etsi preoccupatus fuerit morte, in refrigerium erit.*

⁶ in] written twice T

⁷ docet] docebat T

⁸ omnibus] omitted but added above the line T

⁹ habet] perhaps it should read potest

¹⁰ Fili] confortare added after and deleted T

¹¹ desueribat] deseruerunt T

Cum gracia non potest improuise mori, semper prouisus est et paratus reddere animam suam Deo: *Habet animam suam in manu sua*. Aliqui habent animam suam post dorsum suum; non respiciunt eam. Peccatores quandoque languent per annum, et tamen improuise moriuntur et subito. Dixit Moyses in libro Numerorum: *Obsecro, Domine, ut interficias me, ut inueniam gratiam coram te*.

11 Item cum gracia in morte uita perpetuatur. In morte incipit uita uera sanctorum, unde passio sanctorum dicitur natale sanctorum. Vnde in libro Sapiencie: *Visi sunt oculis insipientium mori*; sequitur: *Illi autem sunt in pace; spes illorum immortalitate plena est*; in Iob: *Cum te consumptum putaueris, orieris ut lucifer*; et ad Romanos: *Stipendia peccati, mors. Gracia uero uita eterna*.

12 Item qui est in gracia regnum eternum acquirit, unde ad Romanos: *Sicut peccatum regnauit in mortem, ita gracia regnat in uitam eternam*, id est regnare facit. Patet modo quod gracia Dei sufficit.

13 Secundo uidendum est quomodo nichil aliud sufficit. Hic notandum quod in sacra Scriptura legimus quatuor que non sufficient. Econtra quatuor sunt que sufficient. Nulla persecutio sufficit hodie uel rancori, nulla carnalis delectacio sufficit uoluptati, nulla temporalis habundancia sufficit cupiditati, et nulla mundana gloria sufficit ambicioni. De istis dicitur in Prouerbiis: *Tria sunt insatiabilia. Infernus, os uulue, et terra que non saciatur aqua; et quartum <est> ignis quod numquam dicit: 'Sufficit'*. Per 'infernum' signantur inuidi et iracundi qui dolent de bonis aliorum; isti incipiunt hic esse in inferno. De istis dicitur: *Ignis succensus est in ardore, et ardebit usque ad inferni nouissima. Supercecidit ignis*, scilicet rancoris et inuidie, *et non uiderunt solem*, id est bonum alterius. 'Os uulue' signat desiderium concupiscentie. Per terram signantur cupidi, de quibus Apostolus ad Timotheum: *Qui uolunt diuites fieri, incidunt in temptationes, et in desideria multa <inutilia> et nociua que mergunt eos <in> interitum et perdicionem*. Qui mergitur similiter tenet quod habet. Vnde periculum est esse iuxta illos qui submerguntur. Sic qui in temporalibus merguntur similiter tenent que habent quamdiu uiuunt. Per ignem signatur ambicio dignitatum. Et ista quatuor non sufficient.

14 Dico quod aliqui habent rancorem apud alium, et tali nichil mali uel rancoris sufficit. Si accadat illi malum infortunii, desiderat quod accadat ei malum in corpore. Si malum habet in corpore, desiderat alter quod malum eueniat ei in anima. Vix potest bonum audire de alio. Si audit bonum de alio, adnichil[1]at <illud> uel diminuit, et si non potest hoc facere, intencionem peruertit, dicit quod est hypocrita. Exemplum habetis in Anthioco, qui, pre nimio rancore, quem habebat aduersus Iudeos non potuit saciari a Deo nichil rancore. Persecutus est omnes Iudeos; non parcebat etati nec sexui nec sanctitati. Dicitur ibi: *Set nec ista sufficient ei: set ausus est intrare templum uniuersa terra sanctius; et manibus immundis uasa sancta tractabat*. De istis immundis dicitur: *Lingua eorum gladius acutus. Gladius eorum intret primo in corda eorum*. Dicitur quod ausus est intrare templum uniuersa terra sanctius, id est quod ausus est sanctis uasis detrudere. Ista trip[p]lex inuidorum¹² tangitur in libro Sapientie: *Non suffecerat¹³ eis errasse circa Dei scienciam, set in magno uiuentes insciencie bello, tot et tanta mala perpetrati sunt. Et unus alium per inuidiam occidit. Non suffecerat¹⁴ eis*

¹² inuidorum] written twice T

¹³ suffecerat] suffecit T

¹⁴ suffecerat] suffecit T

errasse circa scienciam Dei. |20v| Sciencia Dei dicitur theologia, circa quam errant aliqui qui secundum philosophiam¹⁵ uolunt metiri diuina. Volunt determinare questiones theologicas difficillimas de predestinacione <et> de Dei cognicione secundum philosophiam. Absque dubio tales essent lapidandi, id est corrigendi duris uerbis. Scribitur: *Bestia que tetigerit montem lapidabitur.* Quantumcumque aliquis fuerit philosophus, tamen respectu secretorum Dei dicitur bestia. Quando talis de diuinis se intromittit, debet lapidari. Animalis homo non intelligit que Dei sunt. Qui numquam¹⁶ audiuisset logicam et intromitteret se de questionibus difficillimis logicalibus et naturalibus fatuus esset. Estne theologia peioris condicionis quam alie sciencie? Quomodo igitur qui numquam audiuit theologiam audebit determinare difficillimas questiones theologie? Si audiuisset per uiginti annos theologiam, uiderentur questiones iste sibi difficiliore quam modo. Periculum magnum est eas secundum philosophiam errare. Debent lapidari, id est corrigi. Vidi quando aliquis magister errauit in sophismatibus, uocauit eum¹⁷ cancellarius et precepit ei quod reuocaret errorem, et reuocauit. Ita deberent isti facere, et si nollent, deberent comburi!

15 Secundo non sufficit¹⁸ delectatio carnali uoluptati; semper plus et plus appetit. Dicitur in Prou.: *Sanguisuge due sunt filie que semper dicunt: 'Affer, <affer>'* – una filia est luxuria, alia est castrimargia.¹⁹ Carnalis uoluptas numquam sufficit, unde super illud Osee, Fornicabuntur etc., dicit Glossa: “Carnalis uoluptas numquam sufficit, et plus habita, famem parit.” “Insaciabilis est appetitus concupiscencie, <et> operacione congrua augetur.” *Vnusquisque temptatur a concupiscencia sua, abstractus et illectus.* Vult aliquis satisfacere concupiscencie sue ut destruat? Et si uideatur sopiri, tamen magis inualescit quando homo sati<s>facit concupiscencie. Gutta aque non exting<u>eret ignem, set magis augetur. Ita quanto²⁰ homo satisfacit ap<p>etitui suo, tanto magis augetur. Dicitur in Ecclesiastico: *Anima calida quasi ignis, non exting<u>etur donec aliquid²¹ gluciat,*²² id est nec post nec ante exting<u>etur. Hic est modus loquendi in sacra Scriptura, sicut dicitur: *Non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum,* id est nec post nec ante cognouit. Et similiter dicitur quod Helyas non uidit lucernam donec exting<u>eretur, id est numquam uidit eam. Et similiter dicitur noluit penitere donec mortuus est, id est numquam penituit. Videte quod carnalem delectationem uocat transglutitum. Quando aliquid transglutitur, post unum morsellum sequitur alius, ita post delectationem sequitur culpa siue obligatio ad penam. Momentaneum est quod delectat, set eternum <est> quod cruciat. Per minimam apparenciam decipit dyabolus; ostendit delectacionem et abscondit dampnationem. Alia filia sanguisuge est gula, que similiter numquam sufficit que semper dicit, “Affer, affer.” Post unum ferculum uult aliud, unde scribitur: Venter impiorum insaciabilis. Dicitur in libro Numerorum: *Numquid²³ multitudo bouum <et> ouium cedetur ut sufficiat ad cibum? Aut omne multitudo piscium maris congregabitur ut saciet*

¹⁵ philosophiam] ph'ica T

¹⁶ numquam] nonnumquam B

¹⁷ eum] in added after and expunged T

¹⁸ sufficit] odio et rancori added after and expunged T

¹⁹ castrimargia = gastrimargia

²⁰ quanto] quando T

²¹ aliquid] written twice, and the first aliquid is expunged T

²² gluciat = gluttat

²³ Numquid] nonquid (!) T

eos? quasi dicat: Non post carnes uolunt pisces. Rogabimus Dominum, etc.

COLLATIO²⁴

<S>ufficit tibi gracia mea.

16 Dictum est in mane quod gracia Dei sufficit, et nichil aliud. Quomodo et quare gracia sufficit dictum est: quia qui habet gratiam habet omnia, scit omnia, nichil mali potest ei accidere, et si aliquid mali ei acciderit in melius commutatur, morte subita non moritur, et quando²⁵ moritur uita eius perpetuatur et regnum Dei ei debetur. Ad omnia alia sufficit. Qui habet gratiam potest omnia, unde ad Cor.: *Potens est Deus omnem gratiam facere habundare in uobis: ut in omnibus omnem sufficiencyam habentes, habundetis in omne opus bonum.* Dicit *omnem gratiam*, id est omnem effectum gracie, ergo ex Dei gracia est omnis nostra sufficiencia, et ex seipso est hominis insufficiencya. Ex se non potest homo nisi malum, Apostolus: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: set omnis sufficiencia nostra ex Deo est.* Non possumus aliquid boni cogitare ex nobis, unde Apostolus dicit: *Velle, adiacet michi: perficere autem <bonum>, non inuenio.* Ergo gracia Dei ad omne sufficit, et nichil aliud sufficit.

17 Hic apertissime possumus uidere homo factus est ad Dei ymaginem: *Faciamus, inquit, hominem ad ymaginem et similitudinem nostram.* Et dicit Augustinus: “Eo ipso homo ymago Dei est, eo quod capax Dei²⁶ est.” Ergo nichil potest ipsum replere nisi Deus. Si aliquod uas esset receptum uel capax maris, una gutta²⁷ aque <non> sufficeret ad replendum ipsum. Quicquid cogitari potest, totum guttule respectu bonitatis diuine: *Sicut gutta roris antelucani, sic ante te <est> totus²⁸ orbis terrarum.* Igitur cum anima sit capax Dei, quomodo sufficit ei gracia? Dicis quod nichil creatum sufficit ei, et gracia est quid creatum, ergo gracia non sufficit ei. Et hic uerum est in quantum gracia est quid creatum, set gracia non est sine Deo, nec potest conseruari in esse nisi ad presentiam Dei. <Sicut> quando cessat influencia solis, tunc cessat | 21r | lumen solis, ita quando homo peccatum facit, tunc cessat gracia, quia cessat influencia diuina. Qui habet gratiam, habet Filium et Patrem et Spiritum sanctum, unde in Iohanne: *Ad eum uenimus, et mansionem apud eum faciemus.* Ergo gracia²⁹ Dei sufficit, et nichil aliud sufficit.

18 Quatuor sunt que non sufficiunt, et econtra quatuor que sufficiunt. Nulla persequio³⁰ sufficit hodie uel rancori, nulla delectacio sufficit carnali uoluptati, nulla habundancia temporalis sufficit cupiditati, <et> nulla mundialis gloria sufficit ambitconi. De duobus prosequutum est; de aliis restat dicere.

19 Nulla temporalis habundancia sufficit cupiditati. Hic est *ignis qui numquam dicit: ‘Sufficit’*. Scribitur: *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera accipiunt.* Hic est ignis usque ad consumptionem deuorans. Isti signantur per terram que numquam *saciatur aqua*. Qui plura habent quandoque sunt inmisericordiores. Qui habet unam

²⁴ collatio] in the margin T

²⁵ quando] quare T

²⁶ Dei] eius T

²⁷ gutta = gutta

²⁸ totus] totum added after and expunged T

²⁹ gracia] mansio added after and expunged T

³⁰ persequio] written twice T

prebendam uult secundam, et qui habet secundam, uult terciam. Propter hoc dicitur in Ecclesiastico: *Insaciabilis est oculus cupidi in parte iniquitatis*, set <non> in parte equitatis, scilicet in dando eleemosinam. Magna iniquitas est quod homo habeat denarios in archa sua, et pauperes moriuntur fame. Contra tales dicitur in Ezechiele: *Sufficiat uobis, principes Israel, iniquitatem et rapinam intermittere*. Bernardus dicit quod “quicquid habes ultra uitulum et uestitum furtum est, rapina est.”

20 Quartum quod non sufficit est mundialis gloria, que non sufficit ambicioni. Vnde in libro Numerorum: *Sufficiat uobis, quod omnis multitudo sanctorum est*, <et> cum populo <est Dominus>: *Cur eleuamini filii Leui <super populum Domini>?* Sunt forte decem meliores te in episcopatu, et tu uis eis preesse! Si homo extendatur in altum secundum diminutionem³¹ suam, non eleuatur. Quando uero sine diminutione³² extollitur, tunc est eleuatio. Sic quando homo aliquid appetit, debet considerare statum suum, et meritum, et uitam, si deceat conditioni sue, et si merita sua sufficiant ad hoc, si non, tunc resiliat. Vnde dicit Apostolus ad Phil.: *Ego didici, in quibus sum, sufficiens <esse>*. Sequitur: *Scio humiliari*. Si homo consideraret suam sufficienciam, et sua merita quam minima sint, humiliaret se. Doctrina ordinatur ad scienciam. Et aliqui quanto plus addiscunt, minus sciunt. Qui nichil proficit est sicut Deus qui non potest proficere. Multi sunt in sc<h>olis humilitatis, caritatis, paciencie et obediencie, et minus sciunt post uiginti annos quam primo anno. De ista insufficiencia clericorum et prelatorum dicitur in Ezechiele notabile uerbum: *Sufficiant uobis omnia scelera uestra, domus Israel; eo quod inducitis filios alienos et incircumcisos corde et carne [et] in sanctuarium meum ut polluant illud; et offertis panem meum, et adipem et sanguinem, et dissoluitis pactum meum. Et non seruastis precepta mea et posuistis custodes in sanctuarium meum uobismetipsis*.³³ *Sufficiant uobis scelera uestra domus Israel*, id est uos clerici, scelera a uobis perpetrata qui additis peccatum peccato. Tangit quinque peccata repre<hen>sibilia in prelatis: primum est inequalis distribucio beneficiorum, secundum est indebita contractacio sacramentorum, tercium est irritatio promissionum, quartum est transgressio preceptorum, <et> quintum est negligencia in custodia bonorum spiritualium.

21 Primum dico peccatum quod reperitur in prelatis est inequalis distribucio beneficiorum quia inequaliter distribuuntur, conferuntur malis et frequenter dimittuntur bonis. Hic tangitur cum dicit: *Eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde in sanctuarium meum; et quare: ut polluant illud*.

22 Secundum peccatum prelatorum est indebita contractacio sacramentorum, et [sacramentorum] precipue eucharistie, quod tangit cum dicitur: *et offertis panem meum, et adipem et sanguinem*. Tangit tria que sunt in sacramento eucharistie, scilicet panis, caro et sanguis. De istis scribitur: *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat*.

23 Tercium est irritatio promissionum, scilicet promissionis generalis in baptismo, et promissionis specialis in suscepcione regiminis. Hic tangitur cum dicit: *Et dissoluitis pactum meum in omnibus <sceleribus uestris>*.

24 Quartum est transgressio preceptorum, quod notatur cum dicit: *Et non seruastis precepta mea*.

³¹ diminutionem] dimensionem T

³² diminutione] dimensione T

³³ uobismetipsis] uobismetipsos T

25 Quintum est negligencia in custodia bonorum spiritualium, quod notatur cum dicit: *et posuistis custodes in sanctuarium <meum> uobismetipsis*, id est in spiritualibus. Quidam magnus prelatus noluit cuidam committere calat<h>um pirorum, et commisit ei magnam curam animarum! De istis potest dici: *Deus, uenerunt gentes in hereditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt iherusalem in pomorum custodiam*. Vtinam tanta cura esset animarum et diligencia, quanta est in piris!

26 Sunt igitur quatuor que non sufficiunt.

27 Econtra sunt quatuor que sufficiunt. Et possumus addere duo, et si placet, contra insufficienciam persecucionis ponere sufficienciam perpessionis et tolerancie; | 21v | contra insufficienciam carnalis uoluptatis est sufficiencia culpe preterite et presentis penitencie; contra insufficienciam cupiditatis et auaricie est sufficiencia paupertatis uoluntarie; contra insufficienciam ambicionis est sufficiencia consolacionis et dulcedinis interne; quinta sufficiencia est operacionis bone; sexta et ultima <sufficiencia> est beatitudinis eterne.

28 Primo, dico quod nulla persecucio sufficit odio uel rancori, set econtra sufficit toleranciam habere et perpessionem, unde in Matth.: *Non est discipulus maior magistro, nec seruus maior domino. Sufficit uobis si me³⁴ persecuti sunt, et uos persequentur. Si patrem familias uocant Belzebub,³⁵ ergo <quanto magis> et domesticos eius?* Qui consideraret penam³⁶ futuram sufficeret ei pena presens inflicta. Si aliquis esset condempnatus, sufficeret ei quod liberaretur ieiunio unius diei. Qui deberet bibere totum mare, et semper³⁷ deberet esse in bibendo, sufficeret ei quod tota bibicio illa commutaretur in bibicione<m> unius³⁸ gutte. In inferno punietur peccator pro omnibus peccatis suis similiter et semel. Deberet ei <sufficere> quod commutaretur pena eterna in temporalem. Dicitur II^o Regum: *Misertus Dominus super afflictos; dixit angelo percutienti: 'Sufficit: nunc contine manum tuam,'* quasi dicat: Sufficit michi pena presens. Qui puniatur in presenti non punietur in futuro, unde in Naum: *Non consurget duplex iniquitas*. Dauid peccauit peccato superbie quia numerauit populum. Et data est ei optio trium penarum quid eligeret, scilicet an penam septem annorum, que est pena inferni, an penam septem septimanarum, que est purgatoria pena, an penam septem dierum, que est penitencia presens. Et ipse elegit penam septem dierum. O quam bonum forum est quod pena eterna commutatur in temporalem! Dicit: *Sufficit tibi: nunc <contine manum tuam>*, quasi dicat: †In futuro eleuabit³⁹ manum secundum quod aliquis uult grauius percutere, set hic leuat magister manum.† Et si homo leuat hic manum suam se affligendo, Dominus extendet manum in retribuendo.

29 Secundo, contra insufficienciam carnalis uoluptatis est sufficiencia culpe preterite et presentis penitencie. Vnde beatus Petrus in prima canonica sua dicit: *Sufficit nobis⁴⁰ preteritum tempus ad consummandam uoluntatem gencium <qui ambulauerunt> in luxuriis, in desideriis, in comessacionibus, ut iam non deliciis hominum, set uoluntati Dei, quod relinquitur est temporis Deo uiuamus*. Sufficit pauperi quod habeat reliquias diuitis. Fecisti multa fercula in diuiciis, in deliciis, in honoribus, sufficiat tibi

³⁴ me] uos added after and expunged, and me was written above the line T

³⁵ Belzebub = Beelzebub

³⁶ penam] presentem added after and deleted T

³⁷ semper] senper T

³⁸ unius] diei added after and expunged T

³⁹ eleuabit] nunc added after and expunged T

⁴⁰ nobis] ad added after and expunged T

preteritum tempus expendisse in peccatis, residuum temporis uiuas Deo. Dicitur de Acab quod non suffecit ei quod ambularet in peccatis patris sui Ieroboam, set duxit uxorem Iezabel. Iezabel interpretatur ‘sterquillinium,’ et signat pessima peccata, de quibus non audemus imitare nec loqui, et durant in quibusdam usque ad mortem. Contra istam insufficienciam requiritur sufficiencia presentis penitencie, de qua dicitur in tercio <libro> Regnum de Helya cum fugeret Iezabel: *Et perrexit per desertum, dormiuit, et petiuit anime sue ut moreretur. Sufficit*, inquit, *tolle animam meam*. Dormire est⁴¹ delectacionibus uac[cl]are. *Petiuit anime sue*, id est animalitati, ut moreretur, id est mortificaretur. *Et dixit ei angelus: Surge, et comede: grandis enim restat tibi uia*. Et inuenit ad capud suum panem subcinericium, et uas aque, in quo intelligitur attitudo penitencie. Notabile uerbum quod dicit quod fugiebat Iezabel, que interpretatur ‘sterquillinium’. *Perrexit per desertum, per uiam unius diei*, et tunc *petiuit anime sue ut moreretur*. Helyas dormiens typum gerit aliquorum dormiencium in peccatis. Incipiunt facere penitenciam et non uadunt nisi iter unius diei per desertum, et dicunt: “Vellem modo mori. Sufficit michi.” Set angelus dixit ei: “Grandis tibi restat uia,” <quasi dicat>: parum fecisti adhuc de penitencia, oportet eam hic facere uel in futuro. Sufficit penitencia in qua sunt tres diete, scilicet contricio, confessio et satisfactio. De nouo incipiamus facere penitenciam. Aliqui totum amittunt quia ieiunant in peccato, <et> in magna septimana uel forte in uigilia Pasche uadunt ad confessionem. Penitencia in peccato facta non est satisfactoria. Quando aliquis currit extra uiam, non appropinquat ad terminum. Oportet primo facere primam dietam.

30 Tercia sufficiencia est paupertatis uolunta[us]rie, de qua in libro Sapiencie: *Melior est pauper sufficiens sibi*⁴² *quam uir gloriosus et indigens pane*. Et in Thobia dixit Anna: *Sufficiebat nobis pau*|22r|*pertas nostra, ut diuicias computaremus, quod*⁴³ *filium nostrum uideremus*. Non debemus contempnere pauperes. Qui esset electus in aliquo loco, et haberet magnum depositum in fidelissimo loco depositum, et esset her[r]es regni, non contempneretur. Tales sunt pauperes, unde in canonica Iacobi: *Nonne pauperes elegit Deus in hoc mundo, diuites in fide, heredes regni?*

31 Quarta sufficiencia est consolacio dulcedinis interne. Qui internam dulcedinem habet de facili omnes mundi honores contempnit. Dicitur in libro Iudicum quod *uenerunt ligna ad ficum, et dixerunt ei: ‘Impera nobis.’* Et dixit ficus: *‘Numquid possum dimittere dulcedinem meam et fructus meos dulcissimos ut inter cetera ligna promouear?’* Dicitur in Ecclesiastico: *Mel inuenisti, comede quod sufficit*. Mel in cera est diuinitas in humana natura. Aliqui nimis comedunt, aliqui parum. Set parum comedunt, qui celestia <non> contemplantur; nimis comedunt, qui totaliter occupant se in contemplacione celestium, ita quod non curant de cura animarum. Deberent ascendere et descendere, unde dixit Moyses: *Sufficit uobis quod in monte mansistis: reuertimini, et uenite ad montana Amorreorum, et ad loca humilia*.

32 Quinta sufficiencia <est> operationis bone, de qua in Ecclesiastico: *Vita operarii sufficientis sibi condulcabitur, et in ea inueniet thesaurum*. Scribitur: *Operamini uitam que non perit*. Et in Ecclesiastico: *Quodcumque <facere> potest manus tua instanter*

⁴¹ est] in added after and expunged T

⁴² sibi] written above the line T

⁴³ quod] eum added after and expunged, and quod written above the line T

operare. Dicit in ea inueniet thesaurum. Thesaurus per diuersa tempora congregatur et simul accipitur. Ita multitudo bonorum operum facit thesaurum, quem homo inuenit in morte, Iob: *Quasi effodientes thesaurum; gaudentque uehementer cum inuenerint sepulcrum.* Solebant homines quondam thesaurum suum ponere in sepulcris, et ideo gaudebant qui querebant thesaurum quando inueniebant sepulcrum. Si desiderat homo uitam et scienciam, debet multiplicare bona opera ut inueniat thesaurum in morte. Sancti enim mortem habent in desiderio, uita in paciencia.

33 Vltima sufficiencia est beatitudinis eterne, de qua Ps.: *Saciabor cum apparuerit gloria tua.*⁴⁴ Et in euangelio dixerunt discipuli ad Dominum: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Rogabimus Dominum etc.*

⁴⁴ tua] mea T

<SERMO 9>¹

Collacio

<Dominica prima in Quadragesima>

coll<atio> facta a fr<atre> Gu<i>ll<elm>o de Lu<ci>

<H>ortamur uos, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis.

1 Nuper ostendi uobis quare efficax² sit gracia, quia qui habet gratiam omnia potest, omnia scit, nichil mali potest ei accidere, et si aliquod malum incurrit prius illud commutatur ei in bonum, non potest morte subita occupari, et quando moritur uita ei perpetuatur. Magne fatuitatis est igitur gratiam Dei in uanum recipere, ideo toto desiderio gracia est accipienda, multiplicanda et aliis inpendenda. Qui haberet gratiam episcopi, quod deberet habere prebendam beate Virginis, non in uacuum uellet illam gratiam recipere. Quidam gratiam Dei recipere, ut ambiciosi, renuunt, alii gratiam recipiunt set parum proficiunt, alii gratiam recipiunt et in gracia proficiunt set non perseuerant.

2 Circa illud uerbum duo ad presens uidere possumus: primo, qualiter gracia Dei sit recipienda; secundo, que in recipientibus gratiam est gracie efficacia.

3 Primo dico, uidendum est qualiter possumus gratiam recipere. Videte dispositionem uasis liquorem recipientis. Secundum hoc debes te disponere ad gratiam recipiendam. Oportet autem quod uas sit mundum, integrum uel religatum, quod sit latum et uacuum, aliter parum reciperet, et eciam quod habeat os apertum et sursum erectum. Ista sex requiruntur in corde si gratiam uis recipere. Requiritur mundicia cordis, religacio carnis, uacuitas humilitatis, latitudo caritatis, apercio oris in confessione et graciaturum actione, et rectum intencionis.

4 Primo dico quod requiritur mundicia cordis ad hoc quod gratiam Dei possis recipere. In uase immundo non libenter poneret homo balsamum. Ideo si uis recipere gratiam Dei, oportet quod cor tuum sit mundum, Ps.: *Cor mundum crea in me, Deus*; et in Prou.: *Qui diligit cordis mundiciam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem*, quia amor assimilat amantem amato. Aliqui multa bona exteriora faciunt, set cor non mundificant. Illud parum ualet. Ideo ad mundificandum corda monuit nos Ecclesia in capite ieiunii: *Cum ieiunas, inquit, capud tuum unge, et faciem tuam laua. Sanctificate, inquit, ieiunium*. Ecclesia facit sicut bonus medicus qui primo dat medicinam purgatiuam, postea confortatiuam nature. Ita Ecclesia mater nostra primo dat medicinam purgatiuam ad purgandum nos, postea in die Pasce dat medicinam confortatiuam, *ut panis cor hominis confirmet*. Videte: Qui uult preciosum liquorem ponere in uase immundo non dimittit lauare uas quousque uult ponere ibi liquorem, set recinserat bis, uel ter, uel quater. Ita nos qui uolumus preciosissimum liquor, scilicet Corpus Christi, recipere, non debemus expectare confiteri usque tunc, scilicet in fine Quadragesime. Si in principio confessionem facere et postea nos recinserare, non sufficit aliquando una confessio uel due. Debet homo confiteri omnia peccata que habet in consciencia sua, postea de aliis peccatis mortalibus. Aliqui

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Troyes, Bibl. Municipale 951, ff. 27r-30v. The collatio is listed in J. B. Schneyer, *Repertorium*, v. 2, p. 477, n. 5; Th. Kaeppli, *Scriptores*, v. 2, p. 110, n. 1537.

² efficax] efficacem

inpremeditati ueniunt confiteri omnia peccata que fecerunt toto anno. Non recolo que feci heri, quomodo ergo in una hora momentanea poterit homo recolare de omnibus que fecit in toto anno? Non sufficit semel confiteri, set oportet recinsere frequenter.

5 Secundo, ad gratiam recipiendum requiritur integritas [29v] uel religacio carnis. Si uas esset confractum, effunderetur liquor. In uase confracto ponuntur cineres. Integritas carnis est per baptismalem³ innocenciam, set religacio est per penitenciam. Frangitur homo per peccatum, religatur per contricionem, confessionem et operacionem. *Cor fatui*, id est luxuriosi, *quasi uas confractum, et omnem sapienciam non tenebit*. Minus dicit et plus significatur. Dicit, omnem sapientiam non tenebit, immo si aliquid sapiencie esset ibi effunderetur, unde in Ecclesiastico: *Gracie fatuorum effunduntur*; et in Genesi: *Effusus es uelud aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*. Hoc est secundum quod requiritur, scilicet integritas uel religacio carnis, unde beatus Petrus: *Succincti lumbos mentis uestre, sobrii, perfecte sperate in illam, que uobis offertur, gratiam*.

6 Tercio, ad hoc quod aliquis recipere possit gratiam requiritur uacuitas humilitatis. Primum uas habet de uacuitate; secundum habet de capacitate. Et quantum habet de uacuitate humilitatis, tantum habet de⁴ gracia. Vnde in quarto <libro> Regum uasa uacua impleuit Helyseus. Ps.: *Qui emittis fontes in conuallibus; inter medium moncium pertransibunt aque. Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam*. Amissa est primo gracia in angelica natura per superbiam et eciam in humana, set reinuenta est per humilitatem in humana natura.

7 Quarto, ad hoc quod aliquis possit recipere gratiam requiritur latitudo caritatis. De Paulo dicit: *Vadas, <quoniam> uas electionis est mihi <iste>* quia habuit latitudinem caritatis. Vnde ad Corinthios dicit: *Cor nostrum dilatatum est*. Per caritatem fit dilatacio. Ps.: *Latum mandatum tuum nimis*. Si diligeres omnes homines de mundo preter unum, non haberes caritatem. Tanta est latitudo caritatis quod eciam ad inimicum se extendit. Nimis habet de re qui dat <eam> inimico. Ita mandatum de caritate dicitur ‘latum nimis,’ quia extendit se ad inimicum, sicut longitudo caritatis se extendit ad omne tempus, quia si in ultima hora uite sue proponeret facere peccatum, non haberet caritatem. Ergo ita longa est caritas quod durat usque ad mortem, et ita lata quod extendit se ad omnes. Igitur ad gratiam disponit latitudo caritatis. Dicitur in Prouerbiis: *Glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta grciarum. Cum eam fueris amplexatus*, scilicet duobus brachiis, que sunt dilectio Dei et proximi, uel dilectio affectus et effectus. Et in Prouerbiis: *Qui bonus est hauriet sibi gratiam a Domino*. Melius est habere caritatem, quia cum caritate non est aliqua malicia. Set cum alia bonitate aliqua est malicia, ut est castitas cum auaricia. Set “caritas est fons proprius <et singularis bonorum>”, cui non communicat alienus.” “Sola caritas diuidit inter filios regni et perdicionis.”

8 Quinto, ad hoc quod aliquis possit recipere gratiam Dei requiritur apercio oris in confessione et grciarum actione, Ps.: *Os meum aperui, et attraxi spiritum*. Et alibi: *Aperi os tuum, et implebo illud*. Et in Eccli.: *In medio ecclesie aperuit os suum, et*

³ baptismalem] gratiam siue added after and expunged

⁴ de] capacitate gracie added after and expunged

*impleuit*⁵ *Dominus illum spiritu sapientie et intellectus*. Et in Genesi: *Aperiens <fenestram> arche*⁶ *et exiuit coruus et intrauit columba*.

9 Sexto, ad hoc quod aliquis possit recipere gratiam Dei requiritur rectitudo intencionis. Oportet quod uas sit erectum, aliter liquor effunderetur. Aliqui totum cor habent ad terrena. Quando uas uersum est ad terrena, non potest influenciam solis recipere, ideo oportet cor nostrum sit ad celestia erectum. Apostolus: *Gloria nostra hec est, testimonium consciencie nostre, quod in simplicitate*, scilicet intencionis, *et in sinceritate*, scilicet cordis, *non in sapiencia*⁷ *carnis, set in gracia Dei conuersati sumus in hoc mundo*. Simplex est qui non intendit nisi unum. Qui simplex est potest dicere: *Vnam petii a Domino* etc. Aliqui compositam habent intencionem. Vtinam ex duobus integris, uel ad minus ex uno integro et alio corrupto, set habent eam compositam⁸ ex duobus corruptis!

10 Habemus modo primum, scilicet quomodo gracia Dei sit recipienda.

11 Sequitur uidere de secundo, scilicet que in recipientibus gratiam Dei est gracie efficacia. Debemus gratiam recipere. Et quare? <Primo> quia per gratiam Dei in necessariis [illud?] erudimur; secundo, per gratiam Dei etiam a peccatis iustificamur; tercio, per gratiam Dei in omnibus temptacionibus et tegimur et defendimur; quarto, per gratiam Dei etiam <in> omnis tribulacionibus consolamur; quinto, per gratiam Dei in bonis stabilimur et consuescimus; sexto, per gratiam Dei in gloriam seruamur et remuneramur.

12 Primo dico: debemus recipere gratiam, quia per gratiam Dei in omnibus necessariis erudimur, unde Apostolus ad Titum: *Apparuit gracia Dei Saluatoris*⁹ *nostri, erudiens nos*, scilicet in omnibus ad salutem necessariis. | 30r | Postea tangit Apostolus quinque necessaria ad salutem, de quibus quinque dicit Apostolus: *Volo in ecclesia Dei loqui quinque uerba, magis quam decem mil<I>ia uerborum*. Docet primo quid ostendum cum dicit: *Apparuit gracia Dei Saluatoris nostri, erudiens nos*, scilicet de hiis que sunt ad salutem necessaria. Omnes articuli fidei sunt de Salvatore nostro secundum diuinitatem uel humanitatem, et istos docet nos gracia. Secundo docet quid cauendum, unde dicit: *Vt abnegantes impietatem et secularia desideria, quia omne quod est in pompa mundi*,¹⁰ *aut est concupiscencia carnis, aut concupiscencia oculorum, aut superbia uite*. Ista docet cauere gracia. Tercio docet quid agendum, unde dicit: *sobrie, et pie, et iuste uiuamus in hoc seculo* — *sobrie* quoad nos in sapiendo,¹¹ loquendo, cogitando; *iuste* quoad proximum, quia quod tibi uis fieri, hoc facias alii<s>; *et pie* quoad Deum, scilicet deuote. Quarto docet quid sperandum, cum dicit: *et expectantes beatam spem*, id est rem speratam. Quinto docet quid timendum, cum dicit: *et aduentum glorie magni Dei*. Ista sunt quinque uerba de quibus erudit nos gracia Dei.

13 Secundo, debemus gratiam Dei recipere, quia per gratiam a peccatis iustificamur, unde ad Rom.: *Omnes peccauerunt, et egent gracia Dei. Iustificati per gratiam Dei* etc. — *omnes peccauerunt*, scilicet peccato originali, etiam multi fecerunt peccatum actuale, *et egent gracia Dei*, scilicet eos iustificante. Item Apostolus: *Qui dilexit <me>*,

⁵ impleuit] illud added after and expunged

⁶ arche] archam

⁷ sapiencia] cordis added after and expunged

⁸ compositam] corruptam written before and expunged

⁹ Saluatoris] dei written after and expunged

¹⁰ mundi] mundo

et tradidit semetipsum pro me. Non abicio gratiam Dei; et in Ecclesiastico: *Gratiam fideiussoris tui*¹² *non obliuiscaris; dedit animam suam pro te.* Item in Ecclesiastico: *Gratia et misericordia, id est amicitia, liberant a morte, quas tibi serua, ne exprobrabilis fias.* Quomodo poterimus sustinere exprobracionem illam, quando Dominus dicit: “Tot et tanta feci pro te, et tu nichil uoluisti facere pro me”!

14 Tercio, per gratiam Dei in omnibus temptacionibus protegimur et defendimur. Habemus aduersarium fortem, quia *non est potestas super terram que ei ualeat comparari.* Oportet igitur quod habeamus potestatem de celo. Hec est gracia, unde in libro Machabeorum: *De celo est uictoria belli.* Scitis quid est de temptato, qui est in periculo submersionis in aqua?¹³ Si ille qui est in ripa porrigit ei manum, liberatur, si non, submergitur. Si non uult ei porrigere manum, nunc¹⁴ reus est mortis eius. In tempore temptacionis debemus recurrere ad uexillum crucis, Apostolus: *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Ihesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Recogitate eum qui talem sustinuit apud semetipsum a peccatoribus contradictionem. Nondum*¹⁵ *restitistis usque ad sanguinem.* In persona damnati <et> corrupti dicit Apostolus: *Video aliam legem in membris meis, scilicet legem fomitis concupiscentie, repugnantem legi mentis mee, id est legi spiritus, et captiuantem me in lege peccati. Infelix ego homo! Quis me liberabit de carcere*¹⁶ *corporis huius? Gracia Dei per Dominum nostrum Ihesum Christum.*

15 Miles quando impugnat alium, solet illum uulnerare, spoliare, seruituti subiugare, incarcerare, et tandem decapitare siue interficere. Ita peccatum uulnerat in cogitatione et affectione, spoliatur nos in consensu, seruituti nos subiecit, quia *qui facit peccatum, seruus est peccati, captiuatur nos in consuetudine, et interficit in morte.*

16 Quarto, in tribulacione per gratiam confortamur, unde in Ruth: *Inueni gratiam in oculis tuis, et consolatus es me, et loquutus es ancille tue, Ruth.* Multi boni habent tribulaciones, set non permittit eas Dominus sine consolatione. Viri spirituales qui exterius paciuntur tribulaciones interius habent gratiam confortantem; scribitur: *Tu autem fili confortare in gracia. Omnia, inquit Apostolus, possum in eo qui me confortat.* Magna est confortacio gracie qui habet eam. *Confortare, fili Timothee, in gracia Dei.* Alia est consolacio mala, de qua in euangelio: *Ve uobis diuitibus, qui hic consolacionem uestram habetis.* Et quare ‘ue’? Quia non habebunt diuinam <consolacionem>. Exemplum bonum habemus in Exodo: Filii Israel quamdiu habebant farinulam, quam portauerant in humeris suis, non <enim> dedit eis manna Dominus. Per ‘farinulam’ significatur consolatio mundana, que est super humeros quia est honorosa, Iob: *Consolatore honorosi uos estis.* Confunditur penitens in confessione,¹⁷ et patitur in satisfacione, et consolatur eum Dominus. Dicit Bernardus: “Delicata est diuina consolatio que non datur admittentibus aliena<m>.”

17 Quinto, per gratiam Dei in bono stabilitur homo et consuescitur. Qui est sine gracia mouetur ad omnem uentum, in gracia uero firmatur, [ideo] ita quod pro omnibus diebus uite sue cauet sibi a peccato. | 30v | Apostolus Petrus dicit: *Deus omnis gracie, qui uocauit <nos> in eternam gloriam suam, <modicum passos> ipse perficiet,*

¹² tui] sui written before and expunged

¹³ submersionis in aqua] written twice, and the first iteration deleted

¹⁴ manum nunc] corrected in the margin

¹⁵ Nondum] nonne

¹⁶ carcere] corpore written before and expunged

¹⁷ confessione] oracione written and expunged, and confessione corrected in the margin

confirmabit, solidabitque. Deus, qui uocauit nos. Quid ualet uocatio nisi sequatur confirmatio? Quomodo uocat nos? Dicit modicum passos. Pro beneficio homo multum patitur, et hic non uult modicum pati pro eterna gloria. Ipse perficiet in bonis agendis, confirmabit in malis cauendis, solidabitque in malis pene tolerandis. Apostolus: Optimum est gracia stabilire cor.

18 Sexto et ultimo, debemus recipere gratiam quia per gratiam Dei in gloriam Dei seruabimur et remunerabimur. Vnde Apostolus ad Ephesios: *Deus, qui diues est in misericordia, cum essemus mortui peccato, conuiuificauit nos <in> Christo, cuius gracia saluati estis.* Et in libro Machabeorum: *Considerabat Iudas quod hii qui cum pietate dormicionem, optimam partem acciperant.* Ps.: *Si dederò sompnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem.* Quando dormiens est apodiatus ad hostium et aperitur hostium, cadit homo in domo et euigilatur¹⁸ et inuenit se in domo, et tunc solum, quasi quedam ibi translacio facta est. Sancti in uita presenti apodiati sunt ostio celi, non restat nisi sompnum mortis dormire, et inuenient se in celo. Ideo cantatur in completorio: "In pace in idipsum dormiam et requiescam. Si dederò sompnum oculis meis et palpebris meis dormitationem." *Cum dederit dilectis suis sompnum, ecce hereditas Domini etc.* Ad istam hereditatem nos perducatur, qui cum Patre etc.

¹⁸ euigilatur] euangilia written after and expunged

<SERMO 10A>¹
<Dominica prima in Quadragesima>
In prima dominica Quadragesima fratris W. Luscý

Cum ieiunasset Ihesus quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.

1 Hortamur uos, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. Verba ultima sunt in epistola hodi<erna>. Inter alias gracias quas Deus confert nobis, qui sumus Parysius, est una magna gracia, que frequenter proponitur nobis uerbum Dei. Et uerbum Dei cum auditur, recipitur gracia Dei, unde in Act.: *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant uerbum*; et in Ps.: *Diffusa est gracia in labiis tuis*. Set multi gratiam recipiunt in uacuum, ut ille qui audit uerbum Dei et non apponit cor. Alius gratiam Dei recipit in uacuum, set² eam non retinet, sicut ille qui uerbum Dei audit et opere non inplet. Alius gratiam Dei retinet, set in ea non perseuerat. Istam gratiam predicacio tribuit, humilitas recipit, bonitas haurit, caritas nutrit.

2 Primo dico: gratiam predicacio tribuit quia impossibile est esse uerbum Dei sine fructu, unde in Prouer.: *Doctrina bona dabit gratiam*. Ergo doctrina mala aufert gratiam. Et in Prouer.: *Audi, fili mi, doctrinam patris tui*, id est precepta Dei, et *legem matris tue*, id est Ecclesie tue, ut *addatur gracia capiti tuo*.

3 Secundo humilitas gratiam recipit, unde in Iac.: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Humilitas est |147va| uacuitas quedam, et uacuitas in uase dispositio est ad capacitatem liquoris. Similiter humilitas in corde dispositio est ad recipiendum gratiam.

4 Tercio, bonitas gratiam haurit, unde in Prouer.: *Qui bonus est hauriet sibi gratiam a Domino*.

5 Quarto gratiam caritas nutrit, unde in Prouer.: *Glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratarum*. In principio rogabimus Dominum etc.

Cum ieiunasset Ihesus etc.

6 Sicut natura exigit, experientia docet et sacra Scriptura testatur, omnis labor hominis in uita ista fundatur super aliquam consolacionem, aut bonam aut mala<m>.

7 In signum huius in prima creacione rerum *terram super aquas fundauit*, id est terre siccitatem super dulcedinem aquarum, Ps.: *Qui firmauit terram super aquas*. Aqua per partes terre est dispersa ad conseruandam terram, quia nisi esset aqua, terra redigeretur in cinerem. Et similiter sanguis hominis³ a uestigio pedis usque ad uerticem capitis diffusus est, quia non posset homo uiuere sine sanguine. Et uita

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from base manuscript: (M) Oxford, Merton College 237, ff. 147rb-151ra. Any accepted variant readings to that text version were supplied by text version (C) Cambridge, Pembroke College, 238, ff. 11vb-13rb, and are referred to in the notes and in the text where indicated. J. B. Schneyer, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 27 and n. 28; Th. Kaeppli, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1550.

² set| si

³ hominis| que written after and expunged

dicatur in sanguine esse. Hoc igitur natura exigit quod labor humanus super aliquam consolacionem fundetur.

8 Item, hoc docet experientia in omnibus. Qui uellet discurrere <discurrat>, set non oportet modo. Videtis istud in sc<h>olaribus qui magis laborem sustinent; hoc non possent facere absque consolacione. Diuersi diuersas experiuntur consolaciones. Mercatores spe lucri exponunt se multis laboribus. Transeunt mare, uadunt de una regione ad aliam, exponunt se periculo, consolantur in spe lucri.

9 Item, quod labor humanus fundetur super consolacionem aliquam sacra Scriptura testatur, Ps.: *Secundum multitudinem dolorum <meorum>, consolaciones tue letificauerunt animam in medio cordis mei; et Ionas: Proiecisti me in medium maris, et flumen circumdedit me; in Iob: Numquid potest uiuere <s>cirpus absque humore? Et <crescere> carectum sine aqua?* Sicut <s>cirpus non potest uiuere absque humore, |147vb| sic homo non potest uiuere in labore absque consolacione bona uel mala. Vnde Gregorius: "Absque delectatione animus hominis esse non potest; aut ergo delectatur in summis aut in infimis." Hoc <dico>⁴ pro tanto, quod omnes Christiani incipiunt modo esse in penitencia et accipiunt baculum <penitencie> contra dyabolum, Ps.: *Dominus opem ferat illi super lectulum doloris eius.* Indiget homo consolacione. Propter hoc Ecclesia proponit nobis regem nostrum in exemplum. Et proponit eum in exemplum milicie, et in exemplum paciencie, et in exemplum uictorie. Multum debet consolari miles quando uidet regem suum in capite belli. Proponitur nobis Christus in exemplum uictorie, ut patet in euangelio quando dixit ei dyabolus: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* In omni temptatione uicit Christus dyabolum, unde proponitur nobis in exemplum, unde⁵ Bernardus ad fratrem suum: "Quid trepidas, quem fratrum armatorum circummuniet⁶ exercitus, angeli as<s>istent a latere, ipse dux belli preibit, dicens: *Confidite, quia ego uici mundum.*" Christus igitur proponitur nobis in exemplum milicia et in exemplum uictorie.

10 Et si consideremus euangelium, Christus in principio euangelii, in medio, et in fine docet nos quid agendum, quid cauendum, et quid appetendum.⁷ In principio euangelii docet quid agendum quia quadragesimalis obseruancia; in medio euangelii docet quid cauendum quia dyaboli astutia; et in fine docet quid appetendum, quia retributionis gloria. Primum notatur in principio euangelii cum dicitur: *Ductus est Ihesus in desertum tunc;* secundum notatur in medio cum dicit: *Accedens ad eum temptator ait etc.;* tertium notatur in fine euangelii cum dicit: *Accesserunt ad eum angeli etc.*

11 *Cum ieiunasset Ihesus etc.* Hic tanguntur tria: primo actor ieiunii per suppositum huius uerbi *ieiunasset*, scilicet Ihesus; secundo notatur actus ieiunii cum dicitur: *Cum ieiunasset;* <tercio notatur tempus ieiunii cum dicitur: *quadraginta diebus et quadraginta noctibus*>.⁸ Modo dicemus de tempore; sero de |148ra| actore ieiunii et actu.

12 Tempus ieiunii fuit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Legimus in

⁴ dico] supplied by C

⁵ unde] supplied by C

⁶ circummuniet] circummuniet written and expunged, and circummuniet added in the margin in another hand

⁷ appetendum] quia retributionis gloria primum notatur added after and deleted (homocoteleuton)

⁸ tercio – noctibus] supplied by C

sacra Scriptura expresse quod numero quadraginta <dierum>⁹ septem sunt facta in signum quod in Quadragesima septem sunt a nobis facienda. Et <primo> numero quadraginta dierum terra, que uniuersaliter fuit cor<r>upta, est purgata et mundata; <secundo> diuina offensa a Moyse est placata; <tercio> pena Niniuitis comminata est relaxata; quarto omnis temptacio dyaboli est superata; quinto numero quadraginta dierum lex decalogi est data; sexto terra promissionis est explorata; septimo uia Elye in deserto numero quadraginta dierum est consumpmata. Similiter septem sunt a nobis facienda in quadragesimali obseruancia. Primo debemus terram cordis nostri per contricionem mundare; secundo debemus diuinam offensam per confessionem placare; tercio debemus per satisfactionem de peccatis preteritis satisfacere; quarto debemus temptacionibus <dyaboli>¹⁰ resistere; quinto debemus nos in bonis operibus exercere; sexto debemus gloriam celestem considerare; septimo debemus bonum quod incepimus perficere et consummare.

13 Primo dico: numero quadraginta <dierum>¹¹ terra <corrupta>¹² uniuersaliter est purgata et mundata. Vnde in Genesi: *Cum uidisset omnem terram <esse> corruptam, quia omnis caro corr<u>perat uiam suam, misit Deus diluuium. Corrupti sunt fontes aquarum, et cataracte celi aperti sunt: et facta est pluuii quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Et consumpta est omnis caro, uolucrum, bestiarum, iumentorum, reptilium, et hominum.* Purgatio terre significat purgacionem consciencie. Parum perficiunt ieiunia nisi procedunt ex corde purgato. Propter hoc dicitur in Ioele: *Sanctificate ieiunium*, id est in ieiunio conscienciam mundate. Vera mundacio ab interiori incipit. Quando medicus uult mundare infirmitatem incipit ab interiori; primo dat medicinam laxatiuam, postea medicinam confortatiuam. Sic Ecclesia iniungit modo ieiunium ad mundandum consciencias nostras, et tempore Pasche¹³ dabit nobis medicinam confortatiuam.

14 In ista purgatione terre tanguntur competentia ad purgacionem et mundacionem consciencie nostre, [148rb] scilicet tempus, modus et affectus.

15 Primo dico: tangitur temp[us] purgacionis quia¹⁴ non subito facta est purgacio, set quadraginta dierum numero ad significandum quod longo tempore¹⁵ ante Pascha debemus consciencias nostras mundare <et> non usque ad ultimum diem exspectare. Qui uellet balsamum ponere in uase immundo, non exspectaret uas mundare donec balsamum uellet imponere, set longe ante ipsum mundaret et frequenter resinceraret. <Ita> nos debemus recipere preciosissimum Corpus Christi. Debemus igitur uasa nostra longo tempore ante immundare et frequenter resincerare. Illud significatur Ila Regum tercio: *Ab heri et nudius tertius continuimus, et fuerunt uasa puerorum immunda.*

16 Secundo, tangitur modus purgacionis cum dicitur: *Cor<r>upti sunt abyssi*¹⁶ *fontes aquarum, et cataracte celi aperte sunt, et factum est diluuium*, id est habundancia lacrimarum. Et debet habundancia lacrimarum procedere ex consideratione pene

⁹ dierum] supplied by C

¹⁰ dyaboli] supplied by C

¹¹ dierum] supplied by C

¹² corrupta] supplied by C

¹³ Pasche] passe

¹⁴ quia] quando M, quia C

¹⁵ tempore] teppe

¹⁶ abyssi] abyssa

inferni. Propter hoc dicit: *Cor<r>upti sunt fontes abyssi*.¹⁷ Debet etiam procedere habundancia lacrimarum ex consideratione diuine offense, unde dicit: *et catharacte celi aperti sunt*. Hoc est duplex irriguum, quod Chaleph¹⁸ dedit filie sue, unde in Iosue: *Dedisti michi terram arentem, iunge michi et irrigua<m>*; sequitur: *et dedit ei duplex irriguum*, scilicet irriguum inferius et irriguum superius. In ista habundancia lacrimarum submerguntur Egyptii, id est demones, *in diluuio aquarum multarum, ad eum non ap<p>roximabunt*.

17 Tercio, sequitur purgationis affectus cum dicit: *Consumpta est omnis caro*, id est carnalis affectio, *uolucrum* quoad superbiam, *bestiarum* quoad auariciam, *et iumentorum* quoad luxuriam, *reptilium* quoad castrimargiam, *et hominum* quoad malitiam, iram¹⁹ et inuidiam, quia ratio deordinata uergit ad maliciam. Debemus igitur in ieiunio conscienciam mundare, unde in euangelio: *Tu autem, cum ieiunas, capud tuum unge, et faciem tuam laua*.

18 Secundo, legimus numero quadraginta dierum diuinam offensam a Moyse | 148va | esse placatam, ut habetur in Deuteronomio et in exemplo: Cum fecerant filii Israel uitulum conflatilem, uoluit Dominus ipsos disperdere,²⁰ et placauit eum Moyses ieiunio quadraginta dierum, unde in Deuteronomio: *Proiecit se*²¹ *ante Dominum, quadraginta diebus et quadraginta noctibus panem non comendens, et aquam non bibens, et propter omnia peccata uestra. Sup<p>liciter deprecabar Dominum ut non deleret uos*. Moyses typum gerit sacerdotum et prelatorum curas habentium, qui pro subditis Deum debent²² orare, diuinam offensam placare, et diuinam misericordiam implorare. Dicit quod *proi<e>cit <se> ante pedes Domini*. Per "pedes" significatur Dei misericordia, quia sicut pedes portant hominem, sic misericordia portat peccatorem. Omni tempore debent sacerdotes et prelati misericordiam Dei implorare pro subditis, unde in capite ieiunii cantat Ecclesia: "Inter uestibulum et altare stabant sacerdotes et implorabant, dicentes: 'Parce, Domine, parce populo tuo; et ne des hereditatem tuam in perdicionem.'" Dicit *quadraginta diebus et quadraginta noctibus panem non comedens* etc., id est in statu pros[s]peritatis et in statu aduersitatis debet prelatus diuinam misericordiam implorare. Placatio ista specialiter fit per confessionem et sanctorum intercessionem, quod significatur I Reg. vii_b:²³ *Dixit Samuel: Congregate uniuersum populum Israel in Masphat. Et conuenerunt uniuersi filii in Masphat: hauserunt aquam, et effuderunt eam in conspectu Domini. Et dixerunt [t]ibi: 'Peccauimus Filii Israel,'* id est clerici debent conuenire in Masphat, quod interpretatur speculatio, id est debent statum suum considerare. In tali loco fuisti ubi tale peccatum commisisti? Debent discurrere per omnia loca, per omnia tempora, per septem peccata mortalia, per modum peccandi. Debet considerare quod peccauit contra Deum, contra proximum et contra seipsum, peccauit committendo et omittendo. Vix uidi perfectum in seculo, qui confiteretur peccatum omissionis. Nesciunt quod sunt peccata et da<m>pnabilia. Tenetur homo declinare a malo et facere bonum. Columna ista non facit malum nec aliquod | 148vb | bonum; propter

¹⁷ abyssi = abysci

¹⁸ Chaleph = Caleb

¹⁹ iram] corrected in the margin in another hand

²⁰ disperdere] dispergere

²¹ Proiecit se] corrected in the margin, Vulg. reads: procidi

²² Debent] written twice

²³ vii_b] added in the margin

hoc non meretur gloriam. Debet etiam considerare homo quomodo peccauit, scilicet *in numero, pondere et mensura*. Debet numerare peccata sua omnia, peccata mortalia confiteri, scilicet peccatum oris, cordis et corporis. Debet ponderare peccata, id est circumstantias que trahunt in aliud genus peccati et ag<g>rauentes grauiter. Debet etiam mensurare peccata. Considerabit quanto tempore fuerit in peccato. Infirmus quando uult curari ostendit medico infirmitatem suam in numero, pondere et mensura. Ostendit eam in numero, dicens: “Tot accessiones²⁴ habui.” Ostendit etiam eam in pondere, dicit: “Tam graues accessiones habui, non possum tot sustinere.” Ostendit etiam suam infirmitatem in mensura, dicit: “Accessio tenuit me a principio diei usque ad sero.” Ita debes confiteri peccata tua.

19 Set multi non bene speculantur materiam siue rationem de uno peccato; faciunt centum uel quinquaginta, non confitentur tum nisi unum. Incurrit aliquis excommunicacionem, ponit manus uiolentas in clericum, differt querere absolucionem suam per negligenciam usque ad Pascha, ingerit se diuersis, et semper facit nouum peccatum de illo. Debemus igitur speculari statum nostrum in quadragesimali obseruancia, quod signatur in Genesi, ubi dicitur: *Cum trans[s]issent quadraginta dies, Noe aperiens fenestram arche, emisit coruum qui non est reuersus. Coruus*, id est dyabolus, qui semper dicit: “Cras, cras.” Inmittit Dominus alicui bonum propositum agendi penitentiam, mutandi statum suum uel intrandi religionem. Dyabolus non potest hoc totaliter impedire, set dicit: “Cras, cras.” Sustinerem si ‘cras’ dicerem ‘hodie,’ set semper dicit: “Cras, cras.” Vnde in Soph.: *Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari. Aperuit fenestram et emisit coruum*, debemus aperire os in confessione et eicere peccatum, *qui non est reuersus*, peccatum non debet iterari. Dicit: *exiuit coruus, et intrauit columba differens ramum uiuentis oliue. Ps.: Os meum aperui, et attraxi spiritum*.

20 Tercio, numero |149ra| quadraginta dierum pena Niniuitis comminata est relaxata. Vnde in Iona habemus exemplum: *Misit Dominus Ionam in Niniue, et predicauit eis Ionas: Adhuc quadraginta²⁵ dies, et Niniue subuertetur. Viri Niniuite crediderunt Domino; induti sunt saccis, a maiore usque ad minorem. Rex des<c>endit de solio suo, abstulit uestimentum suum, indutus est sacco,²⁶ et sedit in cinere. Clamauit, et dixit homo qui ex parte regis erat: Homines, et iumenta, boues, et pecora non gust[t]ent quicquam, nec bibant aquam. Et operiantur saccis,²⁷ et conuertatur homo a uia sua mala, et unusquisque ab iniquitate sua. Sequitur: Vidit Dominus opera eorum, et pepercit eis. Niniue est ciuitas <itinere> trium dierum. Signat mundum in quo sunt tria de quibus dicitur in canonica Iohannis: *Omne quod est in mundo, aut est concupiscencia carnis aut concupiscencia oculorum, aut superbia uite*. Iste sunt tres dyete ad infernum, sicut contricio, confessio, satisfactio sunt tres dyete ad celum. Niniue interpretatur uacuitas pulc<h>ra. Et mundus exterius est pulcher et interius est uacuuus, Ier. 4: *Aspexi terram, et ecce uacua erat et nichili*. Morietur homo et uidebit quod diuicie non fecerunt ei nisi malum, unde <mundus> bene comparatur²⁸ baculo arundineo. Baculus arundineus exterius uidetur pulcher et fortis, interius est uacuuus et debilis. Quando innititur ei homo, deficit baculus, cadit*

²⁴ accessiones| assessiones

²⁵ quadraginta| tres

²⁶ sacco| sacto

²⁷ saccis| sactis

²⁸ comparatur| conpatur

homo, et frangit sibi costam.²⁹ Propter hoc dicitur: *An confides in baculo arundineo?*

21 Videte quod subito conuersi fuerunt ad uocem predicatoris, et fuerunt conuersi totaliter, uelociter et celeriter.

22 Totaliter fuerunt conuersi. Ionas non fecit eis nisi unum sermonem, et omnes conuersi fuerunt. Set quare ieiunabant pecora? Non quia Deo placebat ieiunium ipsorum, set quia homines pascendo pecora retraherentur ab inploracione diuine misericordie.

23 Fuerunt conuersi uelociter et celeriter ad primum sermonem. Propheta dedit eis quadragesima dies de dilacione; non expectabant quadragesimum diem, nec uicesimum, nec decimum. Nullus est qui de dilacione possit nobis dare horam unam. Debemus igitur statim | 149rb | conuerti, unde in Ecclesiastico v_b:³⁰ *Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem*. Si rex preciperet alicui sub pena capitis et amissione omnium rerum suorum quod ueniret ad ipsum antequam caderet uentus, non expectaret usque in sero, quia "ad paruam pluuiam cadit uentus magnus." Vita nostra est uentus, Iob: <Memento> *quia uentus est uita mea. Et non aspiciet me uisus hominis*. Et beatus Iacobus: *Vita uestra est uapor ad modicum parens, <et> deinde exterminans*. Et Deus precipit tibi sub pena corporis et anime quod uenias ad ipsum antequam cadat uentus, id est antequam recedat anima de corpore. Vnde in Ioelis: *Nunc ergo: Conuertimini ad Dominum in ieiunio, fletu, et pla<n>ctu. Et scindite corda uestra*. Rogabimus Dominum etc.

<COLLATIO>

Cum ieiunasset etc.

24 Sicut tactum fuit in toto proposito nostro, Ecclesia, nos consolando in euangelio hodierno, proponit nobis Christum in exemplum milicie, in exemplum patencie, et in exemplum uictorie. Et in exemplum instituit nobis temp[us] quadragesimale tanquam decimam partem anni et tanquam morbi dietam. Volens medicus curare infirmitatem inponit dietam. Et sicut sensibiliter dieta corporalis in tribus consistit: primo in determinacione cibi determinati, dicit medicus: "Talia comedetis"; secundo consistit in limitacione cibi determinati, dicit: "De talibus comedetis ad mensuram," scilicet parum; tercio consistit in dilacione sumendi, dicit: "Non comedetis usque ad uesperam," <sic> quod ista dyeta spiritualis in istis tribus consistat patet: primo in determinacione cibi, quia modo non comedetis carnes. Secundo consistit in limitacione cibi determinati, quia debetis modo minus comedere quam ante; unde in Iudith ieiunauerunt et refossilauerunt se, non ingurgitauerunt se. Tercio consistit in dilacione sumendi; contra illos qui incipiunt in tertia et consummant ad uesperam. | 149va |

24 Et sicut dixi in uerbis istis proponit nobis temp[us] ieiunii cum dicit: *quadragesima diebus et quadragesima noctibus*; secundo actorem ieiunii per suppositum huius uerbi: *ieiunasset*, scilicet Ihesus; tercio actum ieiunii cum dicit: *Cum ieiunasset*. Et sicut inceptum fuit in mane, legimus septima³¹ numero quadragesima dierum facta in signum quod quadragesimali tempore septem sunt a nobis facienda. Terra numero

²⁹ costam] costum

³⁰ v_b] written in another hand above the line

³¹ septima] septimo

quadraginta dierum est purgata, diuina offensa <a Moyse> est placata, [quia] <pena> Niniuitis <relaxata> est com<m>inata, omnis temptatio dyaboli est superata, lex Moysi est data, terra promissionis est explorata, et uia Elie in deserto est consumpmate; sic nos debemus septima³² spiritualiter facere: primo, conscienciam facere mundare; secundo, diuinam offensam placare; tertio, debemus de peccatis preteritis satisfacere. Primum debet fieri per contricionem, secundum per confessionem, et tertium per satisfactionem. De istis tribus dictum est in mane. Restat modo de aliis.

26 Quarto,³³ numero quadraginta dierum omnis temptacio dyaboli est superata. Vnde in euangelio hodierno: *Cum ieiunasset Ihesus quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens temptator ei ait: 'Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.'* Et habetis expresse quod Christus superauit dyabolum in omni temptatione in qua dyabolus prius Adam superauit, scilicet in temptatione castrimargie,³⁴ superbie, cupiditatis et auaricie.

27 Videte: Aliter fuit Christus temptatus et aliter temptamur nos. Temptacio Christi solum fuit exterius, non interius nec per motum aliquem. Set nostra temptacio est interius, eciam usque ad primum motum, aliquando <usque ad consensum>. Et est simile in egroto et medico. Egrotus cognoscit³⁵ infirmitatem suam quia sentit³⁶ eam; medicus non sentit infirmitatem egroti, quia magis compateretur egroto si infirmitatem suam sentiret. Set uidet ipsam in urinali. Vnde egrotus cognos<c>it egritudinem suam per experienciam, medicus uero per urinam. Victoria Christi omnibus nobis communis est, quia³⁷ |149vb| regis uictoria communis est toti exercitui. Nos debemus temptationibus resistere, aliter non ualeret ieiunium. Vnde in Mt.: *Hoc genus demoniorum non eicitur nisi per ieiunium et oracionem*, quod significatur per filios Israel qui per oracionem superauerunt Gabionitas, ut dicit in libro Regum: Et ieiunio in Masfat superauerunt Philisteos. Et Iudith xiii^b:³⁸ Fletu et ieiunio amp[p]utauit caput Holofernus. Holofernes interpretatur impugnans uitulum saginatum, et signat dyabolum qui in pugnat saginatos Spiritu sancto. In ieiunio et oracione caput Holofernus, id est dyaboli, amputatur. Dicitur in Genesi: *Calcabit caput tuum, et tu insidiab<er>is calcaneo eius*. Quando serpens uult intrare in aliquem locum, primo ponit caput, quia quando intrat caput, tunc potest ponere totum corpus. Sic ubi dyabolus potest intrare per affectum, ibi profundat temptationem suam, quia de facili tunc ponit totum corpus. Methaphorice, pedes dyaboli sunt illicite affectiones, renes peruerse delectaciones, cor peruerse cogitaciones, manus peruerse operationes, os peruerse locutiones, oculi illiciti aspectus, auris auditus illiciti,³⁹ nares illiciti olfactus. Quicumque uult resistere dyabolo debet ei<us> resecare caput in principio <eius temptationis>, et tunc facillimum est ei resistere, non quandocaput est intus.

28 Quinto, numero quadraginta dierum lex decalogi Moysi est data in signum quod in quadregesimali obseruancia debemus nos in bonis operibus exercitare. De

³² septima] written twice

³³ Quarto] quarta

³⁴ castrimargie = gastrimargie

³⁵ cognoscit] cogesit (!)

³⁶ sentit] sencit

³⁷ quia] written twice

³⁸ xiii^b] added in the margin

³⁹ illiciti] illicitus

hoc dicitur in Deuteronomio ix_b,⁴⁰ <ubi> hoc dicit Moyses: *Assendi*⁴¹ *in montem, et perseueraui in monte quadraginta diebus et quadraginta noctibus, non comedens [Deus] neque bibens. Et dedit michi Dominus duas tabulas lapideas scriptas utrasque digito Dei. Mons*, id est eminencia uite, de quo dicitur in Genesi ad Loth: *Ne stes in omni regione, set in monte saluum te fac. In omni regione*, id est in terra Sodome. Sodoma interpretatur pastio silens uel declinatio eorum⁴² <aut> muta, et signat peccatum et circumstantias peccati. Non est tutum esse in peccato, quia <qui> *amat periculum peribit in illo*. Non potest auis frequentare |150ra| laqueum, et piscis hamum, et naus periculum quin periclitetur, similiter nec iuuenis mulierem et forte meretricem.

29 Bonum est totum <mundum> fugere et in monte perseuerare. Non dubito homo nimis fugere non potest. Si locus esset extra mundum, bonum esset illuc fugere⁴³ extra mundum. Dicit *assendi in monte*, id est in eminencia uite, et *perseueraui*⁴⁴ *in monte, et dedit <michi> duas tabulas*, in quibus continebantur decem precepta. Tria prima mandata magis pertinent ad uitam conte<m>p[er]latiuam, et septem pertinent ad uitam actiuam. Fuit in monte quadraginta diebus et quadraginta noctibus in signum quod decem precepta decalogi debemus in cordibus nostris scribere et in bonis operibus nos exercitare, aliter non est bonum ieunium, unde Ambrosius: "Abstinere a cibis non sufficit nisi bona opera adiungantur." Vnde de ieunio dicit Apostolus ad Thimo<theum>: <Corporalis> *exercitacio ad modicum ualeat, pietas uero ad omnia utilis est, promissionem habens uite, que nunc est, et future*. Dicit ibi Glosa: "Omnis summa Christiane religionis in pietate et misericordia consistit, quam si aliquis sequatur, eciamsi lubricum carnis passus fuit, uapulabit, et non peribit."

30 Sexto, numero quadraginta dierum terra promissionis fuit explorata in signum quod nos in quadagesimali obseruancia debemus ad gaudia paradisi hanelare.⁴⁵ Vnde filii Israel miserunt exploratores in terram Canaan⁴⁶ promissionis et in omni terra circuita; reuersi sunt ad omnem cetum⁴⁷ filiorum Israel et ostenderunt eis fructus terre. Non delectatur in afflictione corporis in quantum afflictio est, set in quantum est occasio⁴⁸ maioris boni. Et quando caro deprimitur, tunc anima sursum eleuatur. Debemus cogitare et ieunare superna, aliter non est ieunium. Et dicitur in Iosue: *Circuite urbem Iherico*⁴⁹ *uiri bellatores semel per diem*. Ad minus semel in die, cum uadis ad lectum debes ad celestia gaudia hanelare et de hiis cogitare. Dicitur in textu quod exploratores de terra promissionis portauerunt tria genera fructuum, ficus, uuas et malagranata, <et> ostenderunt eis fructus. |150rb| Aliqui tam⁵⁰ fuerunt desperati⁵¹ quod non possent assendere. Ficus habet dulcedinem et signat gaudium sanctorum de Christi diuinitate, de quo dicitur: *Gustate, et uidete*. Uua signat gaudium de Christi humanitate, que fuit uua in torculari crucis expressa. Malagranata signat

⁴⁰ ix_b] added in the margin

⁴¹ assendi = ascendi

⁴² pastio – eorum] added in the margin in another hand

⁴³ fugere] non potest written after and expunged (homoeoteleuton)

⁴⁴ perseuerancia] written and corrected in another hand

⁴⁵ hanelare = anhelare

⁴⁶ Canaan] corrected in the margin in another hand

⁴⁷ cetum] tectum

⁴⁸ occasio] actio written after and expunged, and occasio corrected in the margin by first hand

⁴⁹ urbem iherico] corrected in the margin by a second hand

⁵⁰ tam] cum

⁵¹ desperati] dissperati

gaudium de diuersorum ordinum diuersitate sanctorum.

31 Septimo, numero quadraginta dierum uia Elye in deserto est consummata in signum quod in quadagesimali obseruacia, bonum quod incepimus debemus perficere et consummare. Vnde in libro Regum dicitur: *Cum ieunasset, <obdormiuit> Elyas sub umbra iuniperi*:⁵² *tetigit eum angelus <Domini>, et dixit: Surge, et comede: grandis restat tibi uia. Sur<r>exit et inuenit ad caput suum panem subcinericum et uas aque plenum. Comedit et bibit, et ambulauit in fortitudine cibi illius donec uenit ad montem Dei, <H>oreb.* Tunc adimpleuit iter suum, scilicet quando uenit ad Deum. Iuniperus arbor est infructuosa et habet aculeos loco fructuum, et signat mundum, qui parum habet de fructibus. Et multe sunt in mundo punctiones. Et diuicie dicuntur spine. Sub umbra iuniperi dormire est in temporalibus quiescere⁵³ et delectari, Iob: *Esse sub sentibus*⁵⁴ *delicias computabam.* Aliqui bene dormiunt in molendino uel in foro, ubi est maximus tumultus. Similiter non est nisi tumultus in diuiciis, et tamen aliqui quiescunt in diuiciis. *Tetigit eum angelus Domini*, id est gracia Spiritus sancti tetigit cor per inspiracionem, et dixit: *'Surge, comede et bibe: grandis restat tibi uia'*. Debemus sup<p>lere: parum est de tempore et multum de uia. Non debes dormire pro dulcissima misericordia! Qui elongaret se a Parysius per unum mensem et faceret dyetam suam in equo cum quatuor pedibus, nonne remotus <esset> a Parysius longe magis si per dimidium annum, plus adhuc si per annum integrum? Aliqui per integrum annum non cessant se elongare a Deo <quia faciunt dyetam suam> in equo cum quatuor pedibus, id est cum malis cogitacionibus, locucionibus, operacionibus et consuetudinibus. Et parum habet de tempore. Vnus peccator, |150va| <qui> est contritus et confessus, grandis restat uia, forte per quingentos annos uel 'par mille' non totum potest satisfacere. Quomodo igitur qui peccauit †non erat in penitencia?† Pauperes quando sunt obligati diuiti et non possunt simul totum soluere, dant unum denarium uel duos. *Deus diues est in misericordia.* Debemus aliquid soluere si non possumus totum simul soluere, et debemus penitenciam nostram alleuiare.

32 Notabile est quod dicit: *Inuenit ad caput suum panem subcinericeum*,⁵⁵ *et uas aque plenum.* Panis subcinericeus⁵⁶ est panis sub cinere coctus, et signat memoriam mortis: *Panem tanquam cinerem manducabam.* Vas aque plenum est habundancia lacrimarum, Ps.: *Beatus uir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde disposuit, in ualle lacrimarum, in loco quem posuit. Ambulauit in fortitudine cibi illius donec uenit ad montem Dei <H>oreb.* Bonum quod incepimus debemus consummare. Vult aliquis ire Paricius, uadit per duas leucas, retrocedit per prima<m>, similiter secunda uice et tertia, numquam ueniet Parysius. Hoc non est uera uia. Dicitur in Iudith IIII:⁵⁷ *Scitote quoniam Dominus exaudiuit oraciones uestras si manentes fueritis in oracione et ieunio.* Habuimus modo de tempore ieunii.

33 Sequitur de actore ieunii: *Cum ieunasset Ihesus.* Videte quod ieunauit Moyses, Helyas,⁵⁸ Ihesus et Ecclesia. Moyses ieunauit ad Legis suscepcionem, Helyas ad profectum et fortitudinem, Ihesus ad omnimodam hostis expugnacionem, Ecclesia ad

⁵² iuniperi] inniperi written and expunged, and iuniperi added in the margin in another hand

⁵³ quiescere] quiescere

⁵⁴ sentibus] tentibus

⁵⁵ subcinericeum = subcinericum

⁵⁶ subcinericeus = subcinericius

⁵⁷ IIII] added in the margin

⁵⁸ Helyas] ad profectum added after and expuncted (homoeoteleuton)

animarum curacionem. Per quos significantur quatuor status, scilicet incipiencium, proficiencium,⁵⁹ perficiencium, et status omnium <Christianorum>.

34 Sequitur de actu ieiunii: *Cum ieiunasset*. Ieiunium non debet esse solum ut placeat Deo, set debet habere comites. Primo, oportet quod homo habeat abstinenciam de peccatis; secundo, quod habeat amaritudinem cordis; tercio, quod habeat afflictionem corporis; et quarto, quod habeat affectionem⁶⁰ compassionis, et <quinto> deuotionem oracionis.

35 Primo dico: in ieiunio oportet quod assit abstinencia a peccatis. Quid ualet a cibis ieiunare, non a peccatis? Vnde Ysidorus: "Qui abstinet a cibis et male agit quasi ieiunium |150vb| demoniorum." Qui offert regi ferculum in uase immundo non placet regi. Quid ualet soluere unum <ieiunium> et se obligare ad multa? Qui peccat obligat se ad penam eternam et ieiunium absoluit a precepto Ecclesie. Sic ieiunauerunt⁶¹ Iudei, unde dicunt in Ysa.: *Quare ieiunauimus, et non as[s]pexisti; humiliuimus animas nostras, et nescisti?* Et dicit: *Ecce in die ieiunii uestri omnis <inuenitur> uoluntas uestra* etc. Et in Leuitico dicitur: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid prodest lauacio eius?*

36 Secundo, in ieiunio requiritur amaritudo cordis, unde in euangelio: *Cum ieiunaueritis, nolite fieri sicut <h>ypocrite tristes*. Non reprobatur Dominus tristiciam in ieiunio, set tristiciam <h>ypocritarum, que est exterius solum. Set si procedit tristicia ab interius, tunc est bona. Dicitur in Hester quod cum esset decretum contra filios Israel quod uno die interficerentur omnes in omnibus prouinciis, factus est planctus ingens et ieiunium, et liberati sunt. Et in Ioele dicitur: *Conuertimini ad me in fletu, et planctu, et <in> ieiunio*, id est in contricione, confessione et satisfactione. Iste sunt tres partes penitencie. Set aliqui prius uolunt facere terciam dietam quam primam: uolunt primo satisfacere et postea conteri⁶² et confiteri. Isti non proficiunt.

37 Tercio, in ieiunio oportet habere afflictionem carnis. Terra inpinguata generat tribulos. Bonum est carnem affligere, quia *caro concupiscit aduersus spiritum*. Et in libro Machabeorum <dicitur> sacerdotes ieiunauerunt et <se> induerunt cilicio. Aliqui ieiunant, set non affliguntur quia non esuriunt. Tot fercula habent quando semel comedunt, sicut quando bis in die comedunt, et tantum comedunt una uice quantum duabus uicibus extra Quadragesimam. Isti sunt cambitores:⁶³ dant duos obolos pro uno denario. Set forte dicent: "Nos abstinemus a carnibus,⁶⁴ set certe te⁶⁵ recom<l>etis in pissibus." Multi abstine<n>t a carnibus coctis, non a crudis. Comedunt alios ipsis detrahendo; de quibus dicitur: *Generacio que pro dentibus habet gladios*. Vnde in libro Sapiencie: *Comestores sunt uiscerum*, id est uirtutum, et deuoratores⁶⁶ sunt sanguinis: |151ra| sunt sicut fere que fetum suum nutriunt sanguine.

38 Quarto, in ieiunio oportet affectionem compassionis habere.

39 Quinto, <in ieiunio oportet habere> deuocionem oracionis. Rogabimus Dominum etc.

⁵⁹ proficiencium] perficiencium

⁶⁰ affectionem] omitted, but added in the margin

⁶¹ ieiunauerunt] written and deleted, and ieiunauerunt added in the margin

⁶² conteri] confiteri written and h expunged

⁶³ cambitores] comes<t>ores (?)

⁶⁴ carnibus] pissibus, see Sermon 10B, §32

⁶⁵ te] tu

⁶⁶ deuoratores] deuastores

<SERMO 10B>¹

<Dominica prima in Quadragesima>

Sermo defuncti Guillermi de Luxi dominica prima in Quadragesima

Cum ieiunasset <Ihesus> quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.

1 Natura exigit, experientia docet, et Scriptura sacra testatur ut homo non possit uiuere in hoc mundo in labore sine consolatione.

2 Primo natura hoc exigit, quia *Dominus fundauit terram super aquas*, id est super dulcedinem aquarum, aliter redigeretur in pulueres. Similiter sanguis humanus membra continu| 56va |at; sine sanguine enim homo non uiueret, quia sanguis est thesaurus corporis. Ergo natura primo exigit hominem non posse uiuere in hoc mundo in labore sine consolatione.

3 Secundo, experientia hoc docet. Quomodo isti mercatores exponerent se tantis periculis, nisi consolarentur spe lucri? Similiter isti agricole qui laborant a mane usque ad uesperam nullo modo laborarent, nisi propter lucrum haberent consolationem. Ergo experientia hoc docet.

4 Similiter Scriptura sacra testatur, Ps.: *Secundum multitudinem dolorum in cordis medio, consolationes tue* etc. Hoc ideo dico quia omnes Christiani intrant modo in laborem, assumentes baculum penitentie pugnaturi contra demonem indigent aliqua consolatione, quos consolatur hodie mater Ecclesia in uerbis propositis. Et proponit nobis regem nostrum Christum in exemplum preceden<ti>s nos ad bellum. Sicut probus miles quando uidet regem suum in acie belli animatur ad bellum, ita modo debemus consolari et animari uidentes |56vb| Christum regem in acie belli pugnans contra demonem. Vnde beatus Bernardus ad Robertum fratrem suum, cui inquit: "Trepidus, quem fratrum armatorum armis Christi eminet exercitus, angeli assistunt a latere, dux ipse belli Christus prei<bi>t, dicens: *Confidite, quia ego uici mundum.*"

5 In isto ergo euangelio tria notantur: primo quid debemus cauere, scilicet dyaboli astuciam; quid eciam agere, quoniam istam Quadragesimam ieiunare; tercio quid appetere, quoniam gaudia celi.

6 Omisso primo membro et tercio, dicamus de isto secundo: *Cum ieiunasset Ihesus* etc. In quibus uerbis tanguntur tria, scilicet actor: *Ihesus*; actus: *Cum ieiunasset*; tempus: *quadraginta diebus* etc.

7 Nota ergo quod² numero quadraginta dierum septem legimus facta in Scriptura que nos facere debemus. Primo, numero quadraginta dierum terra corrupta fuit purgata; secundo, numero quadraginta dierum diuina offensa per Moysen fuit placata; tercio, numero quadraginta dierum terra promissio| 57ra |nis fuit explorata; quarto, numero quadraginta dierum pena Niniuitis fuit relaxata; quinto, numero quadraginta dierum uia Helye fuit abreuata; sexto, numero quadraginta dierum lex Moysi fuit in monte data; septimo et ultimo, numero quadraginta dierum omnis dyabolica temptatio fuit a Domino superata. De tribus erit sermo primus, et de tribus aliis erit sermo secundus.

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 56rb-62va. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 27 and 28; TH. KAEPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1550.

² quod| written twice

8 Primo dico: habemus ex sacra Scriptura quod numero quadraginta dierum terra corrupta fuit purgata. Sic legimus in Genesi VI capitulo quod *omnis caro corruerat uiam suam*; et paruū ante: *Corrupta est terra coram Deo, et repleta <est> iniquitate. Et factum est diluuium aquarum quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Et consumpta est omnis caro que mouetur super terram*. Spiritualiter, omnes qui terra sumus per peccatum coram Deo corrupti sumus; ergo purgare nos debemus per cordis contritionem, oris confessionem, penitentiae satisfactionem in istis |57rb| quadraginta diebus, aliter parum Deus acceptaret nostrum ieiunium, nisi hoc bono corde faceremus. Sicut enim medicus corporalis primo dat infirmo medicinam purgatiuam, postea confortatiuam, sic medicus spiritualis animarum, sacerdos qui est loco Dei, primo dat infirmis subditis suis per peccatum [primo] medicinam purgatiuam, scilicet penitentiam, et post confortatiuam dabit in die Pasce, scilicet eucharistiam, Corpus Christi.

9 Et nota tria in ista purgatione: primo tempus, secundo modus, tercio fructus.

10 Primo <notatur> tempus quia non uno die uel duobus facta est huius purgationis, set per quadraginta dies. Similiter non sufficit ut in una die tantum peccata nostra purgemus, set per quadraginta. Quis enim posset uniuersaliter omnia peccata que fecit per annum in una hora recitare? Certe hoc non posset fieri, quia non solum sufficit peccata confiteri, set circumstantias aggrauantes peccatum et conditiones sunt de necessitate confessionis. Et possumus hoc uidere per exemplum. Si quis haberet uas immundum in quo debe |57va| ret ponere preciosum letuarium uel balsamum, non solum semel lauaret set sepius, donec mundum esset. Sic quilibet Christianus in die Pasche debet recipere non letuarium, unguentum uel balsamum, set Christi Corpus preciosissimum. Ergo antea sepius debemus purgari antequam recipiamus, quia uix aut numquam possemus purgari, ut simus digni ad ipsum sumendum. Hoc fuit figuratum bene, I Regum XXI: *Cum fugeret Dauid a facie Saulis, iuit ad Achimelec sacerdotem, dicens: 'Numquid habes panes ad comedendum?' Ait sacerdos: 'Non habeo panes laicos ad comedendum, set tamen panem propositionis – maxime si mundi sint pueri a mulieribus.' Et respondit Dauid: 'Si quidem abstinuimus ab heri et nudiustertius.'* O Domine Deus, si illi non fuerint ausi manducare panem sanctum et panem tantum, qua fronte illi qui sunt in fe |57vb| tore luxurie audent panem sanctissimum, panem Christum carnem factum, *panem, qui de celo descendit, qui dat uitam mundo!* Tantum quantum <manducaret corpus, quod> de Maria sumpsit, caueat quilibet, ne indigne manducet, quia qui *manducat indigne, iudicium sibi manducat et bibit*.

11 Secundo in hac purgatione notatur modus, unde dicitur ibidem quod *rupti sunt omnes fontes abyssi*. Per quod signatur in nostra purgatione habundancia lacrimarum, et hoc uel pre timore gehenne, uel pre consideratione diuine offense. Quando homo cogitat quod propter peccata sua incurrit iram Dei, meruit penas inferni, amisit gaudia celi, mirum est si cor eius non emittit de oculis carnis lacrimarum habundanciam, Ps.: *Fuerunt mihi lacrimae mee* etc.

12 Tercio notatur huius purgationis utilitas et fructus, unde dicitur ibidem: *Consumpta est omnis caro que mouetur super terram*, |58ra| *uolucrum* quoad superbiam, *bestiarum* quoad auariciam, *iumentorum* quoad luxuriam, *omniumque reptilium que repunt super terram* quoad gulam. Vniuersi,³ quia hostes, in quibus erat spiraculum uite, mortui sunt – hoc dicit quoad alia peccata spiritualia ire, inuidie, accidie. Ergo mundemus nos primo in ista Quadragesima per confessionem ab omni mortali peccato, ut placeat Deo nostrum ieiunium. Et hoc est quod dicit Dominus in Mt.: *Cum ieiunas, ung<u>e capud tuum*, oleo scilicet pietatis et misericordie,

³ Vniuersi] uniuersitas written and tas expunged

et faciem tuam laua, ab omni mortali peccato in confitendo. Hoc est primum prosequutum, quomodo numero quadraginta dierum terra corrupta fuit purgata per diluuium.

13 Secundo, numero quadraginta dierum diuina offensa fuit placata per Moysen pro uitulo aureo quod fecerunt filii Ysrael et adorauerunt, sicut legitur Exodi xxxi, et Deut. ix, ibi dicit Moyses de hac materia: *Proci di ante Deum, quadraginta diebus* |58rb| *et quadraginta noctibus panem non comedens, et aquam non bibens*. Moyses hic gerit typum prelatorum Ecclesie, qui pro subditis suis debent orare Deum, ut remittat eorum offensas. Et hoc est quod dicitur in Ioele: *Inter uestibulum et altare plorabant sacerdotes, dicentes: Parce, Domine, populo tuo* etc. Illud bene fuit figuratum I Regum vii, ubi ait Samuel filiis Ysrael: *Congregate ad me omnem cetum filiorum Ysrael in Masphat, ut orem pro uobis Dominum*. Sequitur: *Et conuenerunt in Masphat: et hauserunt aquam, et effuderunt super capita sua in conspectu Domini*. Masphat interpretatur speculari. Omnes ergo Christiani qui fuerunt dispersi per annum debent congregari in Masphat, et debent speculari quid per totum annum male gesserunt, et illud emittere in confessione. Et quomodo? *In numero, pondere, et mensura* – In numero: infirmi corporales bene sciunt numerum accessionum quando |58va| laborant febribus; item bene sciunt pondus quando febricitans plus uel minus afflicus fuit in principio, uel in fine, uel in medio; mensuram, si multum durauit illa febris, a mane usque ad uesperam. Similiter infirmi spirituales debent dicere medico spirituali infirmitates peccatorum suorum in numero: quot habet peccata; et pondere: utrum mortalia uel uenialia, carnalia uel spiritualia; et mensura: utrum diu moratus est in peccato; et sic emittere de ore dyabolum in confessione. Hoc bene fuit figuratum Genesis viii^o capitulo: *Cum transisset aque deluuii, aperuit Noe fenestram et emisit coruum, qui egrediebatur nec reuertebatur*. Coruus signat dyabolum. Coruus dicit semper: “Cras, cras,” numquam: “Hodie.” Ita dyabolus homini nolenti penitentiam facere dicit: “Cras,” et numquam: “Hodie.” Et notabiliter dicit ‘aperiens Noe fenestram, emisit coruum,’ quia per fenestram cordis, que est os, dyabolum emittimus |58vb| in confessione. Et bene dicit quod non est reuersus, quia peccatum non debet iterari. Quando iteratur, redit dyabolus. Sequitur quod post emisit columbam, que reuersa est ad eum. Per quod intelligimus gratiam Spiritus sancti aduenientem in homine quando bene est confessus et firmum propositum habet abstinendi. Ps.: *Os meum aperui*, scilicet in confessione, *et attraxi spiritum meum*, scilicet Spiritu sancto adueniente.

14 Tercio, numero quadraginta dierum pena Niniuitis fuit relaxata. De hoc habetur Ione III^o capitulo: *Factum est uerbum Domini ad Ionam, dicens: Surge, uade in Niniue<n>, ciuitatem magnam, et predica uerbum quod loquor ad te. Et abiit Ionas in Niniue<n> iuxta uerbum Domini; et Niniue erat ciuitas <magna> itinere trium dierum. Et clamauit Ionas: Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur*. Notabiliter dicit quod Niniue erat ciuitas magna <itinere> trium dierum, quia tres sunt diete usque ad infernum. Illa |59ra| que enumerat Iohannes: concupiscentiam carnis, oculorum et superbiam. Similiter tres <sunt> diete usque ad celum: contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Niniue interpretatur uacuum. Hic est mundus iste, qui solius est apparentie, nullius existentie. *Adhuc ergo quadraginta dies, et Niniue, id est mundana conuersatio hominis, subuertetur. Set sequitur ibi quod crediderunt uiri Niniuite Domino, et predicauerunt ieiunium, induti sacco a minori usque ad maiorem*.

15 Set uidete conuersionem, quia per solum Ionam conuerti⁴ sunt, et in uno sermone! Clerici et laici tot habent sermones et nolunt conuerti.

16 Et notatur quod ista conuersio fuit uniuersalis et generalis, quia a minori usque ad

⁴ conuerti] conuersi

maiolem; nam sequitur quod peruenit uerbum usque ad regem Ninie; et surrexit de solio suo, abiecit uestimenta sua, et indutus est sacco, et sedit in cinere et cilicio.

17 Secundo fuit hec conuersio to|59rb|talís, quia non solum hominum, set iumentorum; nam sequitur: *Homines, et iumenta, boues, et pecora non gustent quicquam.* Set que fuit ratio penitentie iumentorum? Quia homines eis dando alimenta ab opere incepto penitentie cito possent se retrahere.

18 Item fuit eorum conuersio uelox, quia licet Ionas daret eis dilationem quadraginta dierum, tamen statim crediderunt et penituerunt. Set nullus est qui posset nobis dare dilationem unius diei, ideo Salomon: *Fili ne tardes conuerti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Si rex Francie mandaret aliquem ut ueniret ad se sub pena amittendi capud antequam uentus iste, qui modo flat, mutaretur, non expectaret usque in crastinum, set statim ueniret. Deus celi mandat nobis sub pena corporalis et anime ut cito ueniamus ad eum per penitentiam antequam uentus iste, qui est uita nostra, decadat, Iob: *Memento mei, quia uentus est uita.* Set uulgariter |59va| dicitur quod “parua pluuiá demittit magnum uentum.” Et paruua infirmitas sternit unum fortem iuuenem superbum. Ergo uelociter debemus conuerti modo in isto tempore ad Dominum, ut Deus se conuertat ad nos in presenti per graciám et in futuro concedat nobis uitam eternam.

<Collatio>

Sermo eiusdem fratris

Cum ieiunasset Ihesus etc.

19 Sicut in euangelio hodierno habemus, ieiunauit hanc Quadragesimam rex noster Ihesus Christus in exemplum milicie, patencie et corone, dans nobis exemplum, ut nos ieiunemus, quia ad hoc institutum est ieiunium presentis Quadragesime, eo quod est decima pars temporis, quam debemus dare Deo, ut, qui per totum annum fuimus per peccatum infirmi, per dietam ieiunii simus sani. Sicut uidemus ad oculum quod medicus febricitanti dietam imponit, ista dieta corporalis in tribus consistit: in determinatione cibi, quando dicit medicus egroto: “Vos come|59vb|detis gruellum, poma cocta, et huiusmodi”; in limitatione cibi, quia: “Adhuc comedetis de hoc parum”; in dilatione sumendi, quia: “Non debet<is> comedere donec cessauerit febris”; sic ista dieta spiritualis in tribus consistit: in determinatione cibi, quia a carnibus, ouis et caseis et lacte abstinemus; in limitatione cibi, quia semel comedimus; in dilatione sumendi, quia usque ad horam nonam⁵ ieiunamus, debitam horam.

20 Hoc est quartum principale huius sermonis, quod numero quadraginta dierum a Christo per ieiunium omnis dyabolica temptatio est superata. Christus hodie superauit dyabolum in illis tribus uiciis quibus Adam fuit conuictus, scilicet gula, auaricie, superbie, docens nos sic contra eum pugnare.

21 Nota tamen quod aliter fuit Christus temptatus, aliter nos. Temptatio Christi fuit exterior: non uenit ad aliquem motum; nostra interior: usque ad cor, aliquando usque |60ra| ad consensum. Et potest poni exemplum: quia aliter cognoscit infirmus infirmitatem suam, aliter phisicus, egrotus sentit per experientiam iam; phisicus per scientiam uidendo in urina infirmitatem. Si enim per experientiam cognosceret, magis infirmo compateretur. Christus ergo cognoscit infirmitates nostras quasi medicus. Vnde uictoria Christi generalis est omnibus nobis, sicut uictoria regis generalis est omnibus suis. Exemplo ergo Christi qui

⁵ nonam] notam

ieiunauit, debemus et nos ieiunare si uolumus dyabolum qui temptat nos deuincere, aliter non possumus eum uincere, in Mt.: *Hoc genus demoniorum non eicitur*, hoc est non superatur, *nisi in oratione et ieiunio*. Legimus quod Iudith post ieiunium amputauit capud Holofernus. Sic per ieiunium possumus capud serpentis antiqui dyaboli amputare. Nota <sicut> serpens quando potest ponere capud suum in cauernam cito intrat in eam, ita dyabolus quando profundauit capud suum in homine per peccati |60rb| consensum de facili intrat in eum. Et ideo super omnia bonum est capud diaboli amputare, hoc est in principio sue temptationis resistere, ne ueniat temptatio ad consensum.

22 Quinto, numero quadraginta dierum lex Moysi fuit data in monte a Domino. De hoc habetur Deut. IX: *Ascendi in montem*, dicit Moyses, *et fui ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas* etc. Mons iste est eminentia uite, unde angelus ad Loth: *Ne stes in omni regione* – loquitur de Sodoma. Sodoma interpretatur mutus, hoc est peccatum. Ne stes ergo in omni regione: in peccato nec in peccati periculo. Non est securus qui est in periculo, etiam si non esset in peccato, quia dicitur in Ecclesiastico: *Qui amat periculum peribit cum illo*. Qui frequentat periculum, frequenter perit. Verbi gracia, auis non potest frequentare laqueum quin capiatur, nec piscis hamum, nec nauis in medio maris quin aliquando submergatur; sic nec iuuenis homo |60va| iuxta unam pulc<h>ram mulierem quin capiatur.

23 Oportet ergo fugere omnes peccandi occasiones. *Ne stes ergo in omni regione*, in peccatorum occasione. Extra mundum te oportet saluare, quia totus mundus corruptus est. Set in monte, scilicet in eminentia uite per penitentiam ibi oportet stare et perseuerare, unde subdit: *Perseueraui ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus*. Tunc dedit ei duas tabulas, in quibus scripta erant decem mandata, quarum tria prima ordinant nos ad Deum, reliqua septem ad proximum, digito Dei scripta. Ista decem mandata debemus in tabulis cordis nostri scribere,⁶ et in talibus nos exercere, quia ut ait Ambrosius: "Non sufficit nobis solum abstinere a cibis, nisi nos exercuerimus⁷ in operibus bonis, maxime in operibus misericordie et pietatis." Dyabolus enim non multum curat de cibis nostris, immo plus timet opera pietatis ad proximum. De ista materia pulcre loquitur Apostolus ad Timotheum IIII capitulo: |60vb| *Exerce, ait, te ad pietatem. Nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia ualet, promissionem habens uite, que nunc est, pariter et future*. Dicit ibi quedam Glossa: "Idcirco de pietate te moneo, quia *corporalis exercitatio*, in qua te fatigas ieiunando, uigilando, abstinendo, que sunt frena carnis, *ad modicum utilis est*, nisi huic operi addatur pietas. Valet autem ad aliquam penam dimittendam, set non omnem. Pietas autem ualet ad promerendum Deum." Et subdit Ambrosius in Glossa: "Omnis summa Christiane religionis in misericordia et pietate consistit, quam qui sequitur, etsi cadit in lubricum carnis, uapulabit,⁸ set non peribit." Quare non peribit? Magister Bone Auenture, felicitis memorie, hoc exponit, loquens de dono pietatis, dicens quod pietas disponit talem hominem ut relinquat culpam, acquirat ueniam, procuret gratiam, impe|61ra|tret gloriam. Ieronimus ibidem: "Non recolo hominem misericordem mala morte mori." Cum enim Deus sit summe misericors, non potest alii misericordiam denegare: *Beati enim misericordes* etc. Et concludit Glossa: "Siquis autem solum exercitium corporis habuerit sine pietate, penas eternas non euadet." Ecce quale auantagium habent diuites si essent erga pauperes misericordes; nam in die iudicii solum fiet discussio de operibus misericordie: *Esuriui* etc.

⁶ scribere| scribet

⁷ exercuerimus| exercueribus

⁸ uapulabit| uasupabit (!)

24 Sexto, numero quadraginta dierum terra promissionis fuit explorata. Sicut legitur in libro Iudicum quod filii Ysrael qui explorauerunt terram illam post quadraginta dies reuersi sunt ad terram suam. In hoc intelligimus quod debemus illa superna gaudia explorare, non solum in afflictione corporis set puritate cordis; nam quanto plus caro abstinendo deprimitur, tanto plus spiritus eleuatur. Et nota quod in terra illa erant tres fructus quos attulerunt illi exploratores, scilicet ficus, uue, malagra |61rb| nata. Per "ficum," qui est arbor dulcis, intelligo dulcedinem diuinitatis, Ps.: *Gustate, et uidete quam suauis est Dominus*. Vua est humanitas Christi, que in torculari crucis fuit expressa. Per "pomagranata," ubi sunt multa grana, intelligo diuersa sanctorum merita, scilicet apostolorum, martyrum, confessorum, electorum. Omnia ista debet diligenter cogitare fidelis anima.

25 Septimo et ultimo, numero quadraginta dierum uia Helye fuit abreuata. De hoc habetur III^o Regum: *Cum obdormisset Helyas subtus umbram iuniperi, ecce angelus Domini tetigit eum, dicens: Surge, comede, adhuc restat tibi grandis uia*. Sequitur: *Surrexit, <et inuenit ad caput suum panem subcinericum, et uas aque plenum>. Comedit et bibit, et ambulauit in fortitudine cibi illius, usque ad montem Dei <H>oreb*. Bene continuauit iste ieiunium suum. Iuniperus est arbor infructuosa habens aculeos loco fructus. Isti aculei sunt terrene diuicie que pungunt hominem, unde Dominus diuicias spinas uocat. Sub umbra ergo |61va| iuniperi dormire est mentem suam in istis terrenis ponere, et ibi quiescere. Aliqui bene dormiunt in eis; non curant de tumultu, sicut illi qui libenter dormiunt in foro uel in molendino, licet audiant tumultum. Et ecce angelus Domini, gracia Spiritus sancti tetigit eum per inspirationem, <dicens>: "Surge, grandis restat tibi uia." Possumus concludere ex quo multum habes de opere, <set> parum habes de tempore. Quid restat tibi nisi bene agere? Non debet pigrescere, non debet tarde surgere qui habet longuam dietam facere. Valde longua dieta est usque ad celum. Aliquis est modo bene constrictus et confessus, adhuc restat ei grandis uia: magna penitentia facienda. Nullus debet uiuere sine penitentia, ut saltem aliquid faceret penitentem quolibet die. Sicut isti pauperes, qui debent diuitibus et non possunt totum simul soluere, cotidie soluunt illud quod possunt, ita nos, qui pauperes facti sumus nimis, soluamus Deo illud quod possumus. |61vb|

26 Et notabile est quod dicit quod *ad capud eius positus est panis subcinericius, et uas aque*. Panis sub cinere positus est memoria mortis; uas aque lacryme procedentes de corde. Panem ergo subcinericum comedere et aquam bibere est memoriam mortis habere et pro peccatis suis flere. Ad hoc positi sumus in hoc mundo ad plorandum pro peccatis nostris. Et dicitur ibi quod *ambulauit in fortitudine cibi illius*, in quo innuitur quod nihil ualet bonum quod incipimus, nisi consummemus, contra illos qui post Pascha redeunt ad peccata sua. Non est uia salutis, set perditionis.

27 Dicamus aliquid de Christo, qui ieiunauit ut uideamus uirtutem ieiunii. Legimus Moysem ieiunasse, Helyam, Christum, Ecclesiam. Ieiunium Moysi fuit ad Legis susceptionem, ieiunium Helye ad profectum et fortitudinem, ieiunium Christi ad omnimodam perfectionem, Ecclesie ad animarum purgationem. Primum est incipitium, secundum proficientium, tertium per |62ra| fectorum, quartum generale est omnium Christianorum sub debitis tamen circumstantiis.

28 Ad hoc autem, ut placeat Deo nostrum ieiunium, oportet quod habeat quatuor comites: abstinentiam a peccatis, amaritudinem de <peccatis> preteritis, afflictionem corporis, deuotionem orationis.

29 Primo dico: oportet abstinere a peccatis qui bene uult ieiunare. Qui enim ieiunat a

cibo et prae agit, ieiunat cum dyabolo. Qui abstinet a cibo, set non a peccato sicut qui regi Francie offerret unum ferculum in uase immundo. Sic de illo qui ieiunat in aliquo mortali peccato, talis obligat se ad penam eternam. Ideo in persona taliter ieiunantium dicit Ysaías: *Quare ieiunauimus, et non aspexistis?* Respondet Dominus: *Quia in diebus ieiunii*⁹ <uestri> *inuenitur uoluntas uestra*, quasi dicat: Ieiunatis ad uoluntatem uestram, non meam. Vos non abstinetis a peccato, et uoluntas mea est sanctificatio <uestra> ut ieiunetis |62rb| sine mortali peccato.

30 Secundo requiritur amaritudo cordis pro peccatis preteritis, ut sit ieiunium sine fictione, non ieiunium ypocritarum, de quo Dominus: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut ypocrite tristes*. Loquitur Dominus de tristitia exteriori coram populo, et hec est mala, nam subdit: *exterminant facies suas* etc. Set tristitia interior pro peccatis, hec est bona. De ista in Ioele: *Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, et fletu, et planctu* – in flectu contritionis, in planctu confessionis, in ieiunio satisfactionis.

31 Tercio requiritur afflictio carnis. <Sicut> terra nimis impinguata spinas et tribulos generat, ita caro humana deliciose nimis nutrita uicia et peccata. Sunt aliqui qui ieiunant, set non affliguntur, non esuriunt non ieiunant¹⁰ cum Christo. Tantum comedunt semel in Quadragesima, quantum bis in Pascha. Cambitores sunt: dant duos obulos |62va| pro denario. Dicunt quod ieiunant a carnibus, set certe <non> a piscibus! Et si abstinent a carnibus coctis, utinam abstinerent a crudis! Set bene ieiunare est uentri subtrahere et pauperibus dare – hoc est bonum ieiunium.

32 Tunc sequitur deuotio orationis, ut taliter ieiunans possit dicere: *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum* etc. Dominus concedat nobis isto modo ieiunare, ut cum eo possimus partem habere. Amen.

⁹ ieiunii| ieiuniorum

¹⁰ ieiunant| set non affliguntur *added after and deleted* (homocoteleuton)

<SERMO 11>¹

<Dominica secunda in Quadragesima>

Dominica secunda in quadragesima fratris Guill<elm>i de luxi, sermo bonus²

Domine, adiuua me.

1 Hoc uerbum sumptum est de euangelio hodierno. Sapienter loquitur mulier ista, Deum rogans pro filia sua: *Domine*, ait, *adiuua me*. Quia petit auxilium et recognoscit dominium implorat clemenciam, et allegat potenciam quia sciebat ipsum omnia potentem. Propter fidem suam audiuit a Domino: *O mulier, magna est fides tua*. Talis fides inpetrat miracula. Vnde ad exemplum eius, quilibet nostrum debet dicere, “Domine, adiuua me,” sciens quod sine ipso nichil possumus facere. In cuius signum in principio cuiuslibet | 52va | hore cotidie dicimus: “Deus, in adiutorium meum intende.” In nomine Domini debemus petere que petenda habemus, quia in uirtute sui nominis est profectus nostre operationis, et ideo in eius nomine primo petamus eius auxilium, ut det mihi aliquid dicere et uobis audire, etc.

Domine, adiuua me.

2 In precedenti dominica instruxit nos mater Ecclesia ieiunare et exemplo Christi contra hostem nostrum pugnare. In ista autem dominica exemplo istius mulieris Cananee docet nos mater Ecclesia orare, que ita instanter orauit Dominum pro filia sua. Hii sunt duo pedes per quos debemus ire de deserto penitentie ad statum glorie, scilicet oracio et ieiunium, Mt. IX^o: *Hoc genus demonii non eicitur, nisi oracione et ieiunio*.

3 In isto sermone duo debemus uidere, unum ex parte mulieris orantis, aliud ex parte Saluatoris donantis.

4 Ex parte istius mulieris quinque sunt notabilia, que debet facere quilibet peccator qui uult conuerti ad Dominum: primo, hec mulier preparauit se sufficienter; secundo, petiuit instanter et fortiter; tercio, allegauit sagaciter; quarto, adorauit humiliter; quinto, impetrauit efficaciter.

5 Primo dico: preparauit se sufficienter, unde dicitur: *Mulier quedam Cananea a finibus illis³ egressa*. [exposicione] Cananea idem est quod mutata. O quam bene fuit mutata hec mulier, quia se conuertit ad Deum, qui potest omnia! Quidam se conuertunt de bono in malum. Hec est mala conuersio, quia erant in statu gracie et redeunt | 52vb | ad statum culpe. Alii se conuertunt de malo in bonum, et hec est bona mutatio. Taliter se mutauit ista mulier, quia conuertit se ad Deum corde, ore, opere, sensu, habitu, gestu. Ideo dicit: *a finibus illis egressa*, quia non solum sufficit relinquere peccatum, immo omnes circumstantias aggrauantes peccatum. Sic debemus preparare nos in ista Quadragesima sicut ante medicinam fit preparacio, ut digne sumamus corpus Christi in die Pasche, quoniam ipse Christus est salus nostra et medicina. Ergo preparauit se sufficienter.

6 Secundo petiuit Deum instanter corde, quia quando primo petiuit Dominum, dicens *Miserere mei, Domine* etc., et Dominus ei non respondit, rursum clamauit: *Domine*, ait, *adiuua*

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14923, ff. 52rb-53vb. Another witness exists: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 62va-64va. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 478, n. 14; TH. KAEPPÉLI, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1551.

² This ascription was written at the end of the sermon

³ illis] tantum (?) written and uel illis corrected in margin

me. Contra multos qui petunt Dominum, et statim quando non audiuntur, desperant. Au premier coup ne chiet pas le chesne.⁴ Illa mulier non semel orauit, immo tantum clamauit quod peticio sua facta fuit quando audiuit a Domino: *Fiat tibi sicut uis*. Nec clamauit ore tantum, set ore et corde simul. Tales audit Deus qui eum corde querunt, unde uersus: "Non clamor, set amor cantat in aure Dei." Contra multos qui sunt corpore in templo, set corda eorum sunt in domo uel in foro. Tales non audit Dominus.

7 Tercio allegauit sagaciter quando dixit: *Ihesu, fili Dauid*. Ihesu interpretatur saluator. Et ipsa sciebat ipsum esse Saluatorem qui uenit omnes homines saluare. |53ra| Et bene <dicat>: *fili Dauid*, quia ex genere Dauid, qui fuit ualde misericors, de quo legitur: Cum posset occidisse inimicum suum mortalem, scilicet Saulem, qui querebat eum occidere, quando fuit 'au desus,' pepercit ei et dulcis ei fuit. Et tu, O Domine Ihesu, qui es de genere ipsius, non debes degenerare. Debet enim bonus filius bonum patrem suum imitari. Ecce, quia sapienter allegauit, sanata fuit eius filia in illa hora.

8 Quarto adorauit humiliter, quia inclinauit cor et corpus suum Deo. Sic enim inclinare est adorare. Quidam inclinant se Deo usque ad genua, alii plus, alii minus, quidam usque ad terram. Set certe inclinatio corporis non ualet sine inclinatione cordis, unde Ps.: *Inclina cor meum Deus*. Quidam habent corda ita grossa quod non possunt inclinari, cum tamen dicat Seneca: "Generosus est animus hominis, et contra potestatem recalcitrans, et melius amore ducitur quam potestate trahatur." Contra superbos prelatos qui magis inperant potestate quam amore. Quando cor est ita superbum oportet quod frangatur aut humilietur. Qui ne pourra ploier, si bris.⁵ Ps.: *Tamquam uas figuli confringes eos*: superbos.

9 Videamus quomodo debet fieri hec adoracio. Debet homo sentire de Deo quicquid est bonum, de seipso quicquid est malum: de Deo, scilicet quod ipse est creator, recreator, omnipotens, et quicquid potest boni cogitari; de seipso contrarium, scilicet quod sit uillissimus peccator. Et sic considerando eius magnitudinem, cuius non est numerus, recidet humiliando in⁶ propriam paruitem, dicendo |53rb| cum Psalmista: *Domine, non est exaltatum cor meum* etc. Sic fecit ista mulier, que non potuit se plus humiliare quam uocando se canem, quando dixit: *Eciam Domine: nam et catelli* [tui] etc.

10 Quinto impetrauit efficaciter, quia statim dicto hoc uerbo humili et sua fide uisa, a Domino facta fuit peticio quando ille qui potest omnia dixit ei: *Fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius in illa hora*. Ista quinque dicuntur ex parte huius mulieris.

11 Ex parte Christi auxiliantis quatuor sunt notabilia cum dicit: *adiuuu me* etc. Videamus quomodo Dominus adiuuat. Dico quod <adiuuat nos> quadrupliciter: celeriter, fortiter, conuenienter, perseueranter siue indeficienter.

12 Primo <adiuuat> celeriter. In omnibus negociis nostris statim debemus auxilium Dei petere, unde Iudith: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum remedium habemus, ut ad te oculos nostros leuemus*. In huius signum cotidie dicimus: "Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuuandum me festina." Et quilibet operarius debet dicere gallice in principio sui operis: Biaux sire Diex, soies en m'aide.⁷ Celeriter adiuuat paratus semper adiuuare, unde: "Nescit tarda molimina Spiritus sancti gracia." Pulsat ad ostium cordis: si quis aperit ei, statim intrat.

⁴ Au -chesne| Au premier cop ne chiet pas le chenes

⁵ Qui – bris| qui ne pourra pluer si briet

⁶ in| written twice

⁷ Biaux – m'aide| biauxsires diex soies en mayde

13 Secundo adiuuat fortiter. Quidam adiuuant descoutes et amant. Verbi gracia, auriga ducens quadrigam suam cadit in limum profundissimum uel foueam, petit auxilium a uicinis transeuntibus, ut eum adiuuent et subleuent quadrigam suam. Vnus uadit au limon, alius ad | 53va | rotam. Quidam parum se grauunt, alii plus, alii minus. Set si esset aliquis inter eos, qui ita fortiter subleuaret, ut sibi uenas rumperet et eliceret sanguinem undique, diceretur: "O quantum amauit iste aurigam istum"! A simili uide: Omnis homo infixus erat in limo profundissimo, scilicet peccati, propter peccatum primi hominis, atque omnes conuenienter descendebant in linbum inferni; ut nos autem Christus extraheret de hoc limo, submisit humerum suum tanto affectu et desiderio quod non fuit membrum in eo quin se sentiret, uene rupte, sanguis ubique effluxit de corpore, de capite <et> de latere, ut ostenderet amorem suum in nobis. Bene in hoc apparuit quod habebat negocium nostrum in corde suo.

14 Tercio adiuuat opportune. Au besoing uoit on qui amis est.⁸ Ps.: *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione*. Multi sunt parentes et alii qui bene adiuuant ad bonas escas comedendum uel ad expendendum res amici. Set aliquis non habet amicum ita specialem, qui, post triduum⁹ postquam fuerit mortuus, curet de ipso, tunc omnes derelinquent eum in morte et sibi deficiunt. Set solus Christus non deficit in morte, immo adiuuat et secum ducit suos in eterna requie. Ergo adiutor est in opportuna tribulatione.

15 Quarto adiuuat Christus indeficienter et perseueranter, Ps.: *Deus adiutor noster in eternum*. Alii adiuuant alios ad tempus, | 53vb | scilicet quamdiu sunt in aliqua prosperitate, set in aduersitate deficiunt ubi magis indigent¹⁰ adiutorio. Set Christus adiuuat in omni aduersitate, et maxime in morte, ut iam dictum est, ubi omnes alii deficiunt. Si petimus eum sicut ista mulier sufficienter et instanter, adiuuabit nos istis modis, scilicet celeriter, fortiter, competenter et perseueranter. Quod nobis prestare dignetur etc.

⁸ Au – est] au besoing uoit lon qui amis est

⁹ triduum] written twice, and first triduum expunged

¹⁰ indigent] indigetur

<SERMO 12>¹
<Dominica quarta in Quadragesima>
Defuncti Guillermi de Luxi in media Quadragesima

Letatus sum in hiis que dicta sunt michi: in domum Domini ibimus.

1 *Fons ascendebat de terra, irrigans uniuersam superficiem terre.* Verba ultimo proposita concordant festiuitati, que est de conceptione Filii Dei in utero uirginis Marie. Hoc fuit maximum beneficium quod fecit Deus pro homine. Fons iste Christus est, in libro Sapientie: *Fons sapientie uerbum Dei*. In fonte reperimus triplicem plenitudinem aque, sufficientie, indeficientie, superaffluentie. Sufficientie, quia sicut fons sufficit uille uel ciuitati, sic gracia Dei sufficit toti humano generi. Indeficientie, quia eius gracia non potest deficere, sicut nec aqua fontis potest diminui. Item superaffluentie, quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, <quia> omnes possunt de gracia sua habere, non oportet nisi gremio² tendere. Ista superfluentia apparuit |75rb| it in die Annuntiationis dominice quando Christus, de Spiritu sancto conceptus, ascendit de terra natus de Virgine Maria. Conceptus <est> in ea de Spiritu sancto, quia *homo natus est in ea*. Et bene ascendendo, quia solum Christus conceptus est sine originali, <set> nos omnes in originali, et ideo eius conceptio uadit in ascendendo, nostra in descendendo. Ideo irrigat uniuersam terram, scilicet Ecclesiam, gracia sua. Et quia indigemus gracia sua irrigari, rogemus primo Deum.

<L>*etatus sum etc.*

2 Boni rumores sunt isti, et boni rumores libenter debent audiri. Sicut dictum est alias, impossibile est mortalem hominem in hac uita misera in labore uiuere sine consolatione. Ad huiusmodi ueritatem. Fideles Christiani qui fuerunt per istam Quadragesimam in labore penitencie, in medio istius Quadragesime indigent aliqua consolatione, quos consolatur hodie mater Ecclesia. Et est totum officium Ecclesie consolatorium. In principio misse inuitat eos mater Ecclesia ad gaudium, ita dicens: "Letare Iherusalem" etc.; sequitur: "qui in tristitia fuistis, ut exultetis." Vnde, quia in ista |75va| Quadragesima ieiunauimus in fletu et dolore cordis pro peccatis nostris fuimus, aliquantulum gaudere debemus. Vnde Dauid ponit se in exemplum, cum dicit: *Letatus sum etc.* Et quod plus est, Paulus apostolus illam celestem patriam proponit nobis in premium: *Illa, ait, que sursum est Ierusalem, libera est, que est mater nostra*. Multum gauderemus si sciremus certos rumores de illa misera Ierusalem, quod in perpetuum esset Christianis tradita. Quanto magis de illa celesti Ierusalem gaudere debemus, que est patria nostra quam expectamus secundum Apostolum: *Non habemus hic manentem ciuitatem, set futuram inquirimus*.

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 75vb-80ra; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 478, n. 15; TH. KAEPPPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1552.

² gremio] gremium

3 Dicit:³ *Letatus sum*. In quibus uerbis tanguntur tria: primo, ipsa leticia: *Letatus sum*; secundo, leticie materia: *in hiis que dicta sunt michi*; tercio, leticie ratio et causa: *in domum Domini ibimus*.

4 De primo, ut sciamus qua leticia letari debemus, nota quod legimus in Scriptura quadruplicem leticiam. Prima est carnalis, secunda temporalis, tertia spiritualis, quarta ce[75vb]lestis. Prima est uilis et ignominiosa, et hec est uoluptuosorum; secunda punctalis et momentanea, et hec cupidorum; tertia dulcis et consolatoria, et hec penitencium; quarta perhennis et beata, et hec in gloria beatorum.

5 Prima ergo leticia carnalis consistit in carnalibus desideriis, com[m]ensationibus, ebrietatibus, luxuriis ceterisque immundiciis. De qua loquitur Salomon in libro II Sapientie in persona impiorum, de beata uita futura desperantium, nichil boni in presenti habentium, set alios secum ad dampnationem trahentium: *Venite, inquit, fruamur bonis que sunt*. O quam malum hoc ‘Venite’! Hinc respondet illud Matt. xxv:⁴ *Ite, ite maledicti in ignem eternum*. Dicit *fruamur bonis que sunt*, non “bonis que uentura sunt,” quia de eis nichil habebunt. *Et utamur creatura*⁵ *tamquam in iuuentute celeriter*, hoc est dum sumus⁶ iuuenes. Sequitur: *Vino precioso nos impleamus. Coronemus nos rosis antequam* |76ra| *[quam] marcescant*. ‘Faisons chapiaus de roses.’ Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. *Vbique relinquamus signa leticie nostre, quoniam hec est pars nostra et sors nostra*. Pessima pars ista, quando *pluet super eos laqueos; ignis* <et> *sulphur* etc. Ista leticia non est uere dicenda leticia, set insania. Nam que est maior insania quam pro delectatione momentanea accumulare sibi infinita supplicia? “Momentaneum est quod delectat, eternum sequitur quod cruciat.” Dyabolus excecatur oculos talium, ne uideant. Tales decipit sicut uenditores pomorum decipiunt ementes, qui ponunt aliqua pulcra poma in ore calat<h>i, et interius remanent alia putrida. Ita dyabolus momentaneam delectationem carnis pretendit et interius eternum cruciatum intendit. Hec est leticia uilis et ignominiosa, et iniqui sunt omnes qui in ista letan|76rb|tur. De quibus scriptum est Prouer. ii,⁷ quod *letantur cum malefecerint et exultant in rebus pessimis; quorum uie peruerse* etc.

6 Est secunda leticia [scilicet] punctalis et momentanea, que consistit in istis terrenis diuiciis, de qua loquitur Iob xxxi:⁸ *Si letatus sum in diuiciis meis; si uidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare; si letatum est in abscondito cor meum, et obscuratus sum manum meam: quod est iniquitas maxima*. Omnia ista uerba sunt uerba imprecationis, quasi dicat: Si in talibus letatus sum, mala michi ueniant de corde meo. Per ‘solem’ intelligo hominem in magna prosperitate diuiciarum; per ‘lunam’ intelligo hominem in minori. Et nullus debet letari, nec in maioribus diuiciis nec in minoribus. Quicquid sit de istis laicis qui Scripturam non intelligunt, saltem clerici, religiosi et prelati in talibus non debent letari, scientes pro certo quod quanto ista temporalia sunt periculosiora, tanto plus contempnenda. Sicut sancti patres |76va| contempserunt, et maxime sanctus sanctorum Christus omnia contempsit, et contempnenda docuit, ut bene cogitarent diuites mundi quod dicit Salomon in

³ Dicit] glosa added after and expunged

⁴ Matt xxv] added in the margin in another hand

⁵ et utamur creatura] added in the margin in another hand

⁶ sumus] in hoc mundo written after and deleted

⁷ Prouer ii] added in the margin in another hand

⁸ xxxi.] added in margin in another hand

Ecclesiaste: Et si multis annis uixerit homo, ponatur quod centum ‘multum’ esset, et in hiis omnibus letus fuerit, meminisse tamen debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, immo annorum infinitorum, qui, cum uenerint, uanitatis arguentur preterita. Dicunt enim dampnati in inferno: *Quid nobis profuit superbia? Et diuiciarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia uelud umbra.* Ista leticia est punctalis et momentanea, unde Iob xx: *Gaudium ypocrite ad instar puncti.* Punctus nec longitudinem nec latitudinem habet, et tamen est principium alicuius lineae que in infinitum excedit alias lineas. Ita terrene diuicie nec longitudinem habent, <quia> non possunt diu durare, nisi quamdiu homo uiuit, nec latitudinem, quia |76vb| qui eas diligit non habet pacem cordis. Immo corda illorum qui eas habent multis amaritudinibus respersa sunt, et tamen sunt principium pene infernalis ad quas ducunt <dies> suos de quibus Iob xxi: *Tenent tympanum et cytharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.*

7 Est leticia tertia spiritualis, que est in declinando a malo et faciendo bonum, de qua Ps.: *Signatum est super nos etc.* Sequitur: *Dedisti leticiam in corde meo.* Hec est uera leticia. Non est alia leticia in presenti quam bona conscientia, pax cordis. Peccator dormiens in mortali peccato suo non habet pacem. Cogitauit quod si in tali statu moreretur, dampnaretur. Dicitur in libro viii⁹ Sapientie: *Intrans in domum meam, scilicet conscientiam meam, conquiescam in ea.* Homo habens conscientiam mundam a mortali peccato, habet pacem, quia non habet conscienciam |77ra| remordentem. Set peccator in mortali non habet quietem, quia habet *mulierem litigiosam*, scilicet conscienciam suam remordentem. Peccator est sicut ioculator qui cotidie querit nouum hospicium, et quando uenit ad suum non inuenit peius, quia contra eum insurgit uxor, filii et¹⁰ familia. Ita peccator rediens ad conscienciam. Quomodo potest habere pacem qui in tantis <peccatis> Creatorem suum offendit? Quomodo haberet quis pacem, qui haberet uermem cor suum corrodentem, qui haberet gladium super capud suum euaginaturn ad occidendum, qui iaceret in loco solitario et omni bono uacuo, et in tali lecto ubi essent centum homicidia perpetrata? Ita est de peccatoribus qui habent uermem consciencie corrodentem, teste Ysaia LXVI:¹¹ *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Habent enim gladium super se euaginaturn comminationem mortis: *Nisi conuersi fueritis, <gladium suum uibrabit>* etc. Sunt in loco derelicto a Deo et angelis; iacent in lecto ubi sunt multa homicidia perpetrata; quot ibi |77rb| sunt peccata mortalia, tot ibi sunt homicidia. In tali statu non potest homo habere pacem. Set quando conuertitur peccator ad Deum et habet amaritudinem magnam de peccatis suis, tunc conuertit Deus illam amaritudinem in spiritualem consolationem, Ps.: *Secundum multitudinem dolorum nostrorum etc.* Mirabile est de misericordia Dei. Quanto aliquis penitens habet maiorem dolorem in corde de peccatis suis, tanto plus dat ei Deus de consolatione. Vnde notabiliter dicit Ionas propheta de hoc: *Proiecasti me in profundum maris, et flumen circumdedit me.* Mirabile esset si unum flumen per mare currens mare excederet. Ita est mirabile quando aliqua consolatio spiritualis tantam amaritudinem excedit de peccatis, quando conuertit Deus illam amaritudinem in dulcedinem.

8 Est quarta leticia celestis, de qua Ps.: *Adimplebis me leticia cum uultu tuo.* De

⁹ viii] added in the margin in another hand

¹⁰ et] filia written after and deleted

¹¹ LXVI] added in the margin in another hand

ista Ysa. LI:¹² *Gaudium et leticia inuenietur in ea, scilicet celesti patria, graciaram accio et uox laudis*. Gaudium est de re inuenta quando pro |77va| nichilo habetur. Ita ibi <erit> magna leticia quando pro parua penitencia habebitur uita beata. Ps.: *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me leticia*. Homo in futura uita beata totus erit circumdatus leticia. Maxime post resurrectionem generalem erit totus circumdatus gloria, interius, exterius, sursum, retrorsum, ante, retro, a dextris et sinistris. Interius, de contemplatione diuinitatis oculis cordis; exterius, de contemplatione humanitatis oculis¹³ carnis, ut Io. X:¹⁴ *Siue ingrediatur siue egrediatur, pascua inueniat*; sursum, de tanta remuneratione; retrorsum, de penarum euasione, quia *letabitur iustus cum uiderit uindictam* etc.; ante, de beatorum societate; retro, de periculorum mundi euasione. O quantum gaudet Magdalena, que tot euasit pericula, et alii qui fuerunt magni peccatores in hac uita, qui modo magni sunt in illa patria, in quibus habundauit peccatum, superhabun|77vb| dat modo gloria! Erunt sicut piscis in aqua, quando cuilibet electo dicetur uoce dominica, Matth. xxv:¹⁵ *Intra in gaudium domini tui*. Non dicit quod gaudium intret in eum, set intra in gaudium. Sicut enim patrefamilias intrante domum tota familia letatur, ita qui intrabit in illam domum letabitur omnis curia celestis etc.

<COLLATIO>

Sermo eiusdem fratris eadem dominica

Letatus sum in hiis que dicta sunt michi etc.

9 Dictum est supra in primo sermone quomodo sancta mater Ecclesia filios suos fideles Christianos, qui fuerunt usque ad istam mediam Quadragesimam in labore penitencie pro peccatis suis, inuitat ad gaudium et leticiam, et ad quam leticiam quoniam ad spiritualem <leticiam> cordis, ut de spirituali ueniat ad quartam leticiam celestem. Restat dicere de aliis duobus membris, scilicet leticie materia: *in hiis que dicta sunt michi*; et leticie causa: *in domum Domini ibimus*.

10 Circa primum, que sit materia huius leticie, nota quod quatuor dicta |78ra| sunt in tribus dominicis precedentibus et in ista <dominica> que sunt leticie magna materia et debent in nobis omnibus impleri uel in proximo implenda.

11 Primum de quo debemus letari est de dyaboli aduersarii nostri eiectione et uictoria <Christi>. Hoc dictum fuit in prima dominica. Secundum de erga peccatores Dei misericordia. Hoc dictum fuit in secunda dominica de muliere Cananea. Tercium de profectu boni operis. Hoc dictum fuit in tertia <dominica>. Quartum de nostra ductione ad patriam. Hoc habemus in ista dominica.

12 Primum ergo pro quo debemus letari est de inimici nostri expulsionem, scilicet dyaboli supplantationem et uictoria, quando Christus, qui est capud nostrum, deuicit dyabolum de omni temptatione de qua primum hominem uicerat superbie, auaricie et gule. De ista nobili uictoria dicit Ysaias: *Letabuntur coram te, sicut qui letantur in messe, sicut letantur uictores capta preda, quando diuidunt spolia*. |78rb| Et reddit causam huius uictorie: *Iugum enim honeris eius, et sceptrum dominationis superasti*. Vere iugum dyaboli

¹² 11] added in the margin in another hand

¹³ oculis] cordis written after and deleted

¹⁴ Io x] added in the margin

¹⁵ Matth xxv] added in the margin in another hand

est honerosum, unde Petrus apostolus: *Nolite imponere nobis iugum, quod neque nos neque parentes nostri portare potuimus*. Iugum enim est peccatum, Ps.: *Iniquitates mee supergressae sunt caput meum, et sicut honus etc.*

13 Notabiliter autem dicit *uirgam dominationis*, quia multum dominatur dyabolus homini quando pro una delectatione momentanea peccati facit eum eternaliter cruciari. Vnde super illud: *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum*, dicit Glossa, “Vsue dicuntur peccata, quia plus acquirit peccator in suppliciis quam commissum sit in peccatis.” Contra insultus ergo dyaboli debemus fortiter pugnare exemplo Redemptoris nostri qui eum deuicit, <et> exemplo Iude Machabei strenui militis, de quo legitur primo Mach.: *Surrexit Iudas, et adiuuabant eum fratres sui, et preliabantur prelium* |78va| *Israel cum leticia*. Iudas <interpretatur> confitens, <et signat> qui modo debet surgere a peccato. Homo enim qui dormiens sedet uel iacet; non potest bene pugnare. Homo sedet per peccati consensum, iacet in peccato praui operis, dormit in peccato male consuetudinis, surgat ergo a peccatis per confessionem. Et bene dicit quod adiuuabant eum fratres eius, quia contra demones unus homo requirit multos adiutores. Vnus frater in congregatione per se non potest contra multos demones pugnare, set auxilio aliorum bene potest, quia *frater qui adiuuatur a fratre quasi ciuitas firma*. Si temptatur aliquis de luxuria, alius qui continens est adiuuat eum de castitate; si unus de ira, alius reducet ad pacem. Et quomodo adiuuant? Reducendo ad memoriam exempla, et maxime sancti sanctorum, Christi, cuius tota uita fuit in labore. Ecce quomodo unus non potest per se pugnare, set cum aliis potest. |78vb| Vnde in Ecclesiaste: *Ve soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem <se>*. Si autem duo fuerint, unus fouebit alium. Si duo in congregatione, multo plus plures possunt. Hoc est primum de quo debemus letari, scilicet de Saluatoris nostri contra dyabolum uictoria.

14 Secundum de quo debemus letari est de misericordia Dei erga peccatores. Ipse enim neminem uult perire, set omnes quantum est de se cupit saluare. Quando aliquis dampnatur, culpa sua est. Immo quod tot hodie dampnantur maximus dolor est. De ista misericordia dicitur in Psalmo: *Ego autem in misericordia tua speraui*. Item Ysa.: *Derelinquat impius uiam suam, et reuertatur ad Dominum*; et post: *Quia in leticia egrediemini*, scilicet a peccatis. Homo letanter debet relinquere peccatum et letanter facere bonum opus penitencie. Hoc totum habitum est in secunda dominica, scilicet de muliere Cananea, cui a Domino dictum est: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut* |79ra| *uis*. Et sanata est filia eius in illa hora. Felix est illa anima cui Deus misericorditer remittit peccata. Hec debet esse petitio nostra apud Dominum, ut remittat peccata nostra. Sicut dominus seruo suo, qui in multis offendit eum, magnam gratiam facit quando ei offensas remittit et ad amorem suum reuocat †pacem quod cum ea facit.†

15 Tercium de quo et pro quo debet letari homo est de profectu boni operis. Quia non sufficit homini peccata sua relinquere et bonum agere, nisi studeat de bono in melius proficere, et sic in eo perseuerare. Hoc aperte dicit Isa.: *Letabitur deserta et inuia*,¹⁶ *et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit letabunda et*¹⁷ *laudans*. Deserta et inuia est peccatrix anima; quamdiu est in peccato quasi bonis operibus

¹⁶ inuia] ianua

¹⁷ et] gaudens written after and deleted

aliena, a Deo et angelis eius est deserta et derelicta. Cesset ergo peccare, et tunc letabitur per bonum propositum, florebit in presenti fructu penitencie, ger |79rb| minabit in futuro fructu leticie, et exultabit in patria uisione Dei. Hoc totum habitum est in dominica tertia de Ioseph, qui interpretatur accrescens, et signat quemlibet Christianum qui modo debet de bono in melius proficere, de uirtute in uirtutem crescere. Vnde in epistola dicebatur: *Ambulate in dilectione*, id est proficite in dilectione. Et in euangelio: *Erat Ihesus eiciens demonia*. Quando homo eicit ab homine peccata oris confessione et cordis contritione, quid restat ei, nisi ut exerceat se ad opera penitencie, ut post satisfactionem perueniat ad gaudia celestis patrie.

16 Sequitur quantum pro quo debemus letari, quod tangitur in ista media Quadragesima, de nostra ductione ad patriam. Vnde hodie legimus quod Moyses eduxit filios <Israel> de terra Egypti ad terram promissionis. Sic Dominus dux noster ducet nos de hoc mundo ad terram illam beatam, quam promisit electis suis per triplicem dietam, scilicet contritionis cordis, confessionis oris, satisfactionis |79va| operis. Vnde dicebat Moyses: *Ibimus uiam trium dierum in solitudine*. Via trium dierum est contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. De ista triplici dieta in Psalmo: *In mari uia tua*, Glossa, “in amaritudine cordis, et semite tue in aquis multis, in lacrimosa confessione oris, et uestigia tua [et] non cognoscentur, post satisfactionem operis.” Immo statim post istam triplicem dietam uolaret homo ad requiem.

17 Vltimo notatur leticie causa cum dicit: *in domum Domini ibimus*. De ista domo Baruc: *O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis eius!* In illa domo est perfecta iocunditas, iocunda sacietas, pulcritudo et eternitas.

18 Dico quod in illa domo est iocunditas anime et corporis sine aliqua admixtione doloris, Ps.: *Quam dilecta tabernacula tua* etc.! Item: *Beati qui habitant in domo tua, Domine*, quasi admirando loquitur, dicens: “Beatus esset qui in una sola die posset |79vb| ibi habitare.” Ps.: *Melior est dies una etc. super mil<|>ia huius mundi*. De ista iocunditate in Ecclesiastico: *Iocunditatem et exultationem thesaurizabit super eum* etc. Thesaurus in presenti non habetur nisi per partes, set ibi totus thesaurus glorie habebitur sine fine.

19 Item ibi est iocunda sacietas, Ps.: *Saciabor cum apparuerit gloria tua*. De nulla re temporali posset homo hic repleri quantumcumque pulcra esset et magna. Set tunc repletus erit, Ps.: *Replebimur*¹⁸ *in bonis domus tue, bonis que nec oculus uidit* etc.

20 Item <ibi est> mansionis eternitas, unde uocat Apostolus ciuitatem illam celestem eternam, dicens: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra dissoluatur, quod domum, non manufactam, eternam habebimus in celis*. Loquitur secundum humanum morem. Si enim domus militis dissoluitur propter regem dominum suum, potest dominus reedificare. Ita si domus nostra corporis per penitentiam propter Deum |80ra| dissoluitur, potest¹⁹ Dominus meliorem reedificare, immo reformare. Vnde Apostolus ad Philippenses: *Saluatorem expectamus Dominum Ihesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostre, configuratum corpori claritatis sue*. Hoc attendens Psalmista dicebat: *Hec recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei*. Ad quam ...

¹⁸ Replebimur| replebimus

¹⁹ potest| potens

<SERMO 13>¹
<Dominica in Ramis Palmarum>
Sermo Guillermi de Luxi

Hoc sentite in uobis, quod et in Christo Ihesu.

1 Facta istorum magnatum duplici ratione solent enarrari, sicut fuit magna probitas domini regis Karoli in terra Apulie. Vna ratio est ut Deus laudetur. Secunda ut alii edificentur et ad simile prouocentur. Hoc solent facere isti hiraudi in torneamentis in hunc modum. Mater nostra Ecclesia et Apostolus in epistola hodierna reducit nobis ad memoriam illam magnam probitatem quam Dominus pro nobis fecit, quando ligatis et manibus et pedibus in cruce, potestates aereas, id est demones, debellauit, debellatas spoliauit, et totum genus humanum de eius potestate eripuit.

2 Vna est ratio ut Deus laudetur. Vnde Ysa. XLIII, Ysaie in fine: *Laudate celi Dominum, quoniam misericordiam fecit! Redemit Deus Iacob, scilicet po | 86ra | pulum suum, et Israel, scilicet Christianus uir uidens Deum, ex hoc gloriabitur.*

3 Alia est ratio ut nos edificemur, et, pro nostra parua possibilitate, ad aliud simile prouocemur. Vnde Petrus: *Christo in carne passo, et uos eadem cogitatione armamini.* Rogemus primo Deum ut de tanta Christi filii sui probitate det michi digne loqui ad honorem suum et salutem animarum.

Hoc sentite in uobis etc.

4 Verba ista que scripta sunt in epistola hodierna pertinent ad presentem diem et totam septimanam istam, maxime quoad diem Parasceue, qui est dies sextus. In quibus uerbis tanguntur quatuor: primo, quid Christus sensit et quid debemus sentire; secundo, notatur sentiendi modus; tercio, impedimenta sentiendi; quarto, uidebimus sentiendi utilitatem et fructum. De primo membro fiet sermo primus; de aliis tribus sermo secundus.

5 De primo, quid Christus sensit et quid nos debemus sentire, nota quod Christus sensit in sua passione quinque | 86rb | sensibus corporis, preter cor, quod est radix et principium omnium sensuum. Sensit primo sensu uisus lacrimarum habundantiam, sensu auditus obprobriorum multitudinem, sensu odoratus sputorum Iudeorum feditatem, sensu gustus potus amaritudinem, sensu tactus clauorum asperitatem, et in corde mortis acerbiter.

6 Dico primo quod Christus sensit sensu uisus lacrimarum habundantiam. De hoc ad Hebreos v: *Cum clamore ualido et lacrimis, preces Deo offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et enim cum esset Filius Dei, didicit ex hiis que passus est obedientiam illam.* De qua Apostolus in epistola hodierna: *Factus est obediens Deo Patri usque ad mortem.* Et tanguntur hic quatuor que fecit Christus in cruce. In quibus exprimitur forma uere penitencie, nam clamauit, et lacrimatus est, se totum et omnia membra sua Deo

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 85vb-91vb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 478, n. 16; TH. KAEPPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1553.

Patri obtulit, et sic in cruce mori uolu|86va|[lu]it. Sic uerus penitens, qui uult in cruce penitencie uiuere et mori, debet lacrimari per cordis contri[c]tionem, clamare per oris confessionem, et se totum offerre Deo cum omnibus membris suis per operis satisfactionem, ut <dicat>, *sicut exhibuit membra sua seruire immundicie et iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeat <membra sua> seruire Deo in mundiciam et sanctitatem*, et sic mori in cruce penitencie per finalem perseuerantiam. Christus noluit de cruce descendere, set mortuus est in cruce ut daret nobis exemplum moriendi in cruce penitencie. Set potest aliquis querere quare flebat. Flebatne quia paciebatur contra uoluntatem suam? Certe non! Qui ad passionem uenerat et passionem totis uisceribus cupiebat, non solum passionem, set passionis accelerationem propter nostram redemptionem, sicut dixerat Iude proditori: *Quod facis, fac cicius*. Set ideo flebat quia paucos preuidebat saluandos, cum tamen passio sua sufficeret ad saluandum totum |86vb| mundum, immo mille mundos, si possent poni, quia Deus erat qui paciebatur, qui plus ualebat quam mundi infiniti. In Psalmo: *Que utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* <quasi dicat>: Non in me ipso, set in membris meis Christianis, qui peccatis suis exigentibus, de corruptione culpe cadunt in corruptionem infernalis pene.

7 Nota quod ita est de sanguine Christi sicut de sanguine minutionis, qui seruatur per tres dies et quarto die abicitur. Ita multi bene habent memoriam dominice passionis solum per tres dies, die Cene, die Parasceue et uigilia Pasce, post quarto die sacro eam a cordibus suis abiciunt. De talibus conqueritur Dominus, Michee vii^o: *Ve michi, quia factus sum sicut qui colligit in autumpno racemos uindemie, id est post uindemiam!*

8 Legitur de quodam homine qui cum plantasset uineam et fecisset quicquid necessarium erat ad fructificandum tempore uindemie, quando debebat eam uindemiare, inimicus suus mortalis uinde|87ra| miauit eam. Sic in proposito uinea ista fidelis anima. Hanc Christus plantauit et sanguine suo rigauit, fecit quicquid debuit ad fructificandum tempore uindemie, hoc est in morte. Quando Christus deberet uineam suam uindemiare dyabolus prior uindemiat² et tollit de maioribus racemis, et in magna copia. Et Christus facit sicut ille qui colligit racemos post uindemiam, qui inuenit paruos racemos absconditos sub foliis.

9 Ecce quomodo Christus sensu uisus sensit lacrimarum habundantiam. Qui ergo ex consideratione passionis Christi et scelerum suorum haberet cor compunctum, quomodo propter peccata sua Deum offendit, omnia bona amisit, uita eterna se frustraui, cito deberet prorumpi in lacrimas et uideret quante uirtutis est eciam una sola lacrima. De cuius uirtute, ita dicit Bernardus: "O lacrima <humilis>, <tua est> magna eterna potencia, tuum est regnum; tribunal iudicis non ueris, amicorum tuorum negocia fa|87rb|cis, accusatoribus tuis," scilicet demonibus, "silentium imponis, sententiam quoque ab ore iudicis quandoque rapis! Plus crucias dyabolum quam pena gehennalis. Si sola intras, uacua non redibis. Quid plura? Ligas omnipotentem, uincis inuincibilem, inclinas ad nos³ filium Virginis."

10 Sensit secundo Christus sensu auditus opprobriorum multitudinem, in Iohanne: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et demonium habes?* Et in Luca: *In*

² uindemiat| uendiemaui *written and ui expunged*

³ nos| te

*Belzebuc*⁴ *principe demoniorum eicit hic demonia*. Et in euangelio hodierno habetur quomodo illudebant ei, ubi dicitur quod *exuentes <eum>, c<h>lamidem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de⁵ spinis, imponebant capiti eius*. De isto sensu in Ecclesiastico: *Pascit ingratos, sensu, scilicet Iudeos, <et ad hec amara audiet>*. Similiter pascit cotidie perfidos Christianos, a quibus audit cotidie pulcra membra sua turpiter iurando dilacerari. Ve talibus qui ita audiunt Christum membratim dilacerari⁶ |87va| et non dolent nec uindictant! Peiores sunt Iudeis qui ipsum per ignorantiam crucifixerunt; isti per maliciam, unde non habent excusationem de peccato.

11 Tercio sensit Christus <sensu> olfactus sputorum Iudeorum feditatem fetentium in faciem eius. Iob in persona Christi: *In faciem meam conspuere non uerebantur*; et Ysa.: *Faciem meam non auerti ab increpantibus et conspuentibus in me*. Et in euangelio hodierno dicitur quod conspuebant in faciem eius, in quem desiderant angeli prospicere eius, qui est *speciosus forma pre filiis hominum*, qui est *candor lucis eterne, speculum sine macula Dei*⁷ *maiestatis, et ymago bonitatis eius*. Set si est speculum sine macula, quomodo conspui potuit? Speculum immaculatum non solet conspui, set maculatum et obscurum ut clarius in eo uideatur. Solent iste pulcre mulieres conspuere specula sua quando sunt obscura et maculata ut uideant in suis⁸ |87vb| speculis maculas suas. Sic Filius Dei, qui est *speculum sine macula, splendor glorie paradisi*, conspui uoluit, ut in eo, quasi in speculo, uideremus maculas peccatorum nostrorum, Ps.: *Respice in faciem christi tui*. In eius humilitate possumus uidere maculas superbie nostre, in eius paciencia maculas iracundie nostre, et sic de aliis uirtutibus.

12 Sensit quarto sensu gustus potus amaritudinem, ut in euangelio hodierno dicitur quod *dederunt ei bibere uinum cum felle mixtum*. Tunc autem bibit amaritudines peccatorum nostrorum, tribulationum, et penalarum seu miseriarum, ut eas per seipsum, quasi per saccum omnibus speciebus aromaticis repletum, uirtute illarum specierum colaret et dulcoraret. Quantumcumque enim aliquis potus sit amarus, tamen si colatur per saccum optimis speciebus aromaticis plenum, uirtute illarum specierum dulcoratur, et efficitur potabilis. Saccus plenus |88ra| omnibus speciebus aromaticis, scilicet uirtutibus, donis et graciis, fuit caro Christi preciosa. Iste saccus fuit ubique concisus in cruce, in toto corpore et in latere, Ps.: *Concidisti saccum meum* etc. Per istum saccum in cruce omnes amaritudines peccatorum nostrorum sunt colate et dulcorate, Ps.: *Omnes fluctus tuos induxisti super me*. Hoc bene fuit figuratum <in libro> Exodi xv, ubi legitur cum filii Israel ambularent tribus diebus per solitudinem, non inueniebant aquas ad bibendum. Tandem inuenerunt aquas ita amaras quod non poterant bibere. Clamauit Moyses ad Dominum, et Dominus ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, dulcorate sunt. Lignum in aquas mittere est dominice passionis memoriam in corde habere. Et sic amaritudines peccatorum suorum poterit dulcorare, unde Gregorius: "Si passio Christi ad memoriam reducitur, nichil ita durum est, quod non equo animo tolleretur."

13 Sensit quinto sensu tactus clauorum asperitatem, Ps.: *Fo* |88rb| *derunt manus meas et pedes meos*, scilicet clauis, nec solum manus et pedes, set capud corona spinea et latus lancea, immo totum corpus, ut *dinumerari possent omnia ossa sua*, sicut dicitur

⁴ Belzebuc = Beelzebub

⁵ de] omitted but restored in the margin

⁶ dilacerari] dilacerare

⁷ Dei] deus

⁸ suis] eis

in Psalmo. Et alibi: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, scilicet clauem paradysi. Clavis innocentie propter peccatum primorum parentum erat perdita <et> porta paradisi erat clausa. Ideo necesse erat aliam clauem fabricare super humerum Christi, scilicet clauem crucis. Immo, ut apertius dicam, quia porta paradysi erat clausa, et clavis non inueniebatur in ea, ideo oportuit ostium frangere, ut fieret clavis regis.⁹ Ostium istud Christus est, ita dicit in Iohanne x: *Ego sum ostium. Per me, si quis introierit, saluabitur*. Istud ostium duplex erat, et se ad inuicem tenens apertum fuit, quia in Christo fuit duplex natura, scilicet diuina et humana, se tenens inuicem propter unionem duplicis nature in unitate persone. Istud ostium fuit apertum in cruce, quando *unus ex militibus* |88va| *latus eius aperuit, et continuo exiuit sanguis et aqua*: aqua ablutionis, sanguis redemptionis. In apertione lateris fuit maxima ostensio caritatis, immo totum quod fuit ibi fuit amor. Nisi enim arde<n>tissimus esset eius amor erga nos, clauis illi nec manus nec pedes perforassent nec lancea latus. Set forte retrocessissent exemplo solis qui retraxit radios suos, ne offenderent Creatorem. Ecce quid Christus sensit in cruce quinque sensibus corporis.

14 Sensit ultimo in corde, quod est radix et principium omnium sensuum, mortis acerbitem et angustiam. In Ecclesiastico: *O mors, quam amara <est> memoria tua*¹⁰ *homini iniusto!* Nota quod in Christo fuerunt tria: caro, anima, diuinitas. Caro in nullo anime repugnabat, anima in omnibus Deo Patri obtemperabat, et ideo separatio illa anime a carne in Christo fuit amarissima. Et dolor mortis Christi fuit |88vb| maximus secundum ueritatem, secundum illud Trenis 1: *O uos omnes qui transitis per uiam, <attendite, et uidete si est dolor sicut dolor meus>!* Set minimus fuit secundum reputationem, qui pre nimia nobis¹¹ dilectione hec paciebatur. De isto modo sentiendi dicit Apostolus ad Philippenses: *Implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes*. Dominus concedat nobis sic eam in cordibus nostris sentire, ut cum eo possimus regnare. Amen.

<COLLATIO>

Sermo eiusdem fratris

Hoc sentite in uobis etc.

15 Dictum fuit in primo sermone quid Christus sensit quinque sensibus corporis, et quid nos debemus sentire. Dicamus de aliis tribus in isto sermone, scilicet de modo sentiendi, et de impedimentis sentiendi, et de utilitate.

16 De primo, modus sentiendi Christi passionem tangitur in euangelio hodierno; nam terra tremuit, petre scinduntur, monumenta aperiuntur, corpora sanctorum resuscitantur. Ecce quomodo omnis creatura compatitur Christo morienti in |89ra| cruce. Qui ergo non sentit eam aridior est terra, durior petra, fetidior sepulcro, insensibilior mortuo.

17 Qui ergo bene uult sentire Christi passionem, oportet quod terra cordis sui moueatur per timorem et compassionem. Qui enim bene cogitaret de Christi passione – quomodo per tam angustissimam mortem oportuit Christum gloriam suam intrare – multum deberet timere et de sua salute sollicitus esse. Bernardus:

⁹ regis] perhaps it would better read as regni

¹⁰ tua] sed written after and deleted

¹¹ nobis] nostra

"<Cum> considero Iob iacentem in sterquilinio, Iohannem esurientem in heremo, Petrum suspensum in crucis patibulo, considero qualiter Deus in futuro punit malos, qui sic in presenti flagellat suos."

18 Et nota quod terra mota est in Moyse legislatore, Ps.: *Terra mota est, etenim celi distillauerunt* etc.; et in passione sicut legitur: *Terra mota est*; et in resurrectione: *Et ecce terremotus factus est magnus*; et in iudicio erit *terremotus maximus, qualis numquam fuit ex quo* |89rb| *homines esse ceperunt super terram*, sicut dicitur in Apocalypsi in signum quod iste timor debet prouenire homini ex quadruplici consideratione, scilicet ex consideratione transgressionis preceptorum Dei, ex consideratione passionis Christi, ex consideratione amisse beatitudinis, et ex consideratione pene infernalis.

19 Secundo, oportet quod duricia cordis petrina scindatur per contritionem, in Iohanne: *Scindite corda uestra, non uestimenta uestra*. Non solum scindenda sunt per penam exteriorem, set corda per interiorem dolorem, ut cor scindatur in quatuor partes, scilicet quatuor affectiones, ut sit dolor de preteritis peccatis, timor de futuris <suppliciis>, gaudium de assequutione uenie, spes de expectatione glorie.

20 Tercio, oportet quod sepulcrum cordis fetidum aperiatur per confessionem. De ista apertione, Ezechielis XXXVI: *Ecce ego aperiam tumulos uestros, et educam uos de sepulcris uestris*, po |89va| *pule meus, et introducam <uos> in terram uestram. Et sciatis quia ego Dominus, cum ap[p]eruero sepulcra uestra*. Homo quamdiu in mortali peccato est, quasi in sepulcro est. Set sepulcrum aperitur quando peccator peccatum suum confitetur; de sepulcro educitur et resuscitatur quando uirtute sacerdotalis absolutionis gracia Dei sibi infunditur, in terram uero suauiter <ter> reducitur quando Ecclesie triumphanti, scilicet curie celesti, per satisfactionem restituitur. Talis potest dicere in morte: *Aperite michi portas iusticie* etc.

21 Legimus in Genesi VIII quod Noe aperuit fenestram arche et emisit coruum, et post uenit columba. Coruus, id est dyabolus, emittitur, id est extra mittitur in confessione, et uenit columba, scilicet Spiritus Sancti gracia, Ps.: *Os meum aperui* etc. Vnde Crisostomus: "Confessio est salus animarum, emissio peccatorum, restauratio uirtutum, fuga demonum. Quid plura? Obstruit os inferni, aperit ianuam paradysi." Vnde confessio comparatur apertioni uene: sicut enim per minutionem, que fit in uenam, extrahitur prauus sanguis et remanet bonus, purgantur infirmitates <et> redit corpori¹² sanitas, sic in confessione purgantur uicia et redit anime sanitas.

22 Quarto, oportet quod qui prius fuerat mortuus, ostendat se resuscitatum per satisfactionem. Vnde in euangelio hodierno dicitur quod multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt. Verum est quod peccator qui per peccatum fuerat mortuus, resuscitatur in confessione, aliter non poterat efficaciter confiteri. Set per penitencie satisfactionem debet ostendere se resuscitatum. Parum enim esset quod homo esset resuscitatus, si non posset ire et negocia sua facere.

23 Quinto, oportet quod sol obscuratur per mundane consolationis subtractionem. In claritate enim solis mundanum gaudium intelligitur. Sol ergo obscuratur quando mun |90ra| dana consolatio subtrahitur, ut tota hominis consolatio sit in Deo, secundum illud Ecclesiastici IX: *In nomine Domini Dei tui sit tibi gloriatio; et in sensu cogitatio Dei*, ita quod totus sensus hominis sit cogitare de Deo. Impossibile est enim sentire ea que sunt Dei et que mundi, nam ut ait Bernardus:

¹² corpori| anime

"Delicata est diuina consolatio, nec datur recipientibus alienam."

24 Vltimo, oportet quod uelum templi scindatur per memoriam penarum inferni. Velum erat quedam cortina que impediabat uidere Sancta sanctorum, et signat impedimentum intrandi regnum celorum quod totaliter tollitur per cordis contritionem, oris confessionem, penitencie satisfactionem, et mundane consolationis subtractionem et finalem perseuerantiam. Et talis sentit sensu illo de quo Apostolus: *Pax Dei, que exsuperat omnem sensum, custodiat corda uestra*. Sensus nostri modo non possunt saturari. Nichil uidetur ita pulcrum quin possit uideri pulcrius, nec gustatur aliquid ita |90rb| dulce quin possit gustari dulcius. Set tunc [non] poterunt sensus nostri saturari, quia *oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit* etc.

25 Tercio, possumus uidere sentiendi impedimenta. Legimus ex Scriptura sacra diuersa impedimenta secundum peccatorum diuersa genera. Quidam non sentiunt quia pueri sunt. Pueri non habent usum rationis, nec discretionem. Si proponatur puero ex una parte aurum, ex alia pulcrum pomum, dimittit aurum propter pomum. Eciam si uideret patrem suum mortuum, non tantum doleret quantum de amissione pomi, cum in morte patris sui esset omne dampnum suum. Tales sunt auari et cupidi, qui preponunt terrena eternis, que non ualent pomum in comparatione! Tales plus dolent de amissione alicuius rei temporalis quam de amissione Dei per peccatum mortale. Vere tales *uiuunt more infantium insensurum*, sunt sine sensu. Contra tales, Ia ad Cor.: *Nolite effici pueri sensibus*, |90va| <set> *malicia paruuli estote: sensibus autem perfecti <estote>*.

26 Alii non sentiunt quia fatui extra sensum sicut frenetici. Eccli. XXI: *Super fatuum plora, defecit enim sensus eius*. Fatuus esset qui superbiret de regno Francie quod non esset suum. Tales sunt homines superbi qui gloriantur de aliqua gracia sibi a Deo data ac si a se haberent. Legimus in Daniele quod cum rex Nabugodonosor deambularet in aula sua, dicens: *Nonne hec Babilon ciuitas magna, quam edificaui in robore fortitudinis mee et in gloria decoris mei?* Statim sequitur quod fuit extra sensum suum, et fuit sicut *bos, comedens fenum, incedens quattuor*¹³ *pedibus, et habitauit cum bestiis et feris, et unguis crescebant ei sicut auium*. Set quando humiliauit se, recuperauit sensum suum, unde dixit: *Ego, Nabugodonosor, oculos meos ad celum leuaui, et sensus meus redditus est michi*. Hoc est magnum donum quando Deus reddit sensum suum homini, quod ma|90vb| xime fit per humilitatem, Ps.: *Domine, non est exaltatum cor meum* etc.

27 Alii non sentient quia carnales et corrupti sicut magister Horricus, <qui> quando transit per Paruum Pontem, non sentit bonum odorem specierum. Tales sunt luxuriosi qui non sentiunt nisi carnalia uilia. Non sentiunt spiritualia, de quibus Rom. VIII: *Qui secundum carnem uiuunt: ea que Dei sunt non sentiunt*. Exemplum de manna, qui erat cibus celestis in quo mali non inueniebant saporem, immo *anima eorum nauseabat super cibo illo leuissimo*.¹⁴ Et <exemplum> de duobus senibus, qui *exarserunt in concupiscenciam Susanne, qui euerterunt*,¹⁵ id est extrauerterunt, *sensum suum, et declinauerunt oculos suos, ne uiderent celum* etc., *nec recordati sunt iustorum iudiciorum Dei*.

28 Alii non sentient quia sunt ebrii et¹⁶ gulosi, sicut in Genesi legitur quod due

¹³ quattuor] omitted and restored in the margin

¹⁴ leuissimo] nouissimo

¹⁵ euerterunt] auerterunt

¹⁶ et] ut

filie Loth inebriauerunt eum, ita quod non sensit quando iacuit cum filiabus suis. Due filie hominem inebriantes sunt |91ra| gula et luxuria, Prouer. xxx: *Sanguisuge due sunt filie, clamantes: 'Affer, affer'.* Hee sunt gula et luxuria. De talibus dicit Dominus¹⁷ per Ezechielem: *Inebriabo eos, et dormient sompnum suum, scilicet in inferno.*

29 Alii non sentient, quia sunt mortui. Homo mortuus non sentit. Tales sunt iracundi qui sunt in odio et rancore. Iohannes in canonica: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres.* Ergo e contrario, qui non diligunt fratres non sunt translati de morte ad uitam. Tales sunt mortui, nec sentient, nec mirum, quia membrum ab aliis separatum non sentit. Tales sunt quasi membrum ab aliis separatum; si enim essent coniuncti Christo capiti suo et corpori Ecclesie, absque dubio sentirent. Econtra sensus iste redditur per caritatem. Nam qui bene sentiret qualiter Christus orauit pro inimicis et crucifixoribus suis, mirum esset si iram in corde diu retinerent. Hoc |91rb| est quod dicit Apostolus ad Philippenses: *Testis michi est Deus, quomodo cupiemus in uisceribus Ihesu Christi. Et hoc oro, ut caritas Dei magis ac magis habundet in uobis.*

30 Alii non sentiunt quia sunt in amaritudine positi. Tales sunt inuidi qui gaudent de malis aliorum et dolent de bonis eorum. Similes Hely qui non poterat uidere lucernam Dei donec extingueretur.

31 Alii non sentiunt quia sunt sompno sopiti. Tales sunt pigri et acediosi,¹⁸ de quibus Prouer. XXIII: *Eris sicut dormiens in medio mari, id est in mundo, qui est quoddam magnum mare.* Aliquando nauta ex nimia securitate dormit in mare, et tunc subito uenit tempestas, franguntur uela, amittitur remus, et tunc euigilans nichil inuenit ad quod mittat manum, tunc est ei magnum periculum. Vnde sequitur: *Et eris quasi sopitus gubernator, amisso clauo. Et dices: Vulnerunt me, scilicet predicatorum, comminando inferni suppli* |91va| *cia, et non dolui, hoc est non penitui prout debui et potui; traxerunt me, promittendo paradysi gaudia, et non sensi.*

32 Alii non sentient quia senes et inueterati. Tales¹⁹ sunt peccatores obstinati. Vnde in persona talis peccator<is> Iob: *Cor eius indurabitur sicut lapis, et stringetur sicut malleatoris incus.* Incus quanto plus percutitur, tanto plus induratur. Tale est cor peccatoris obstinati, quod non flecti potest misericordia uel benignitate aliqua donec in morte flectetur, uelit nolit, adueniente diuina potentia.

33 Vtilitas sentiendi Christi passionem est multiplex.

34 Prima conuersio ad Deum, Baruc: *Sicut fuit sensus uester ut erraretis*²⁰ *a Deo, sic erit sensus uester, ut conuertatis uos ad Deum.*

35 Alia contemptus temporalium. Qui enim bene consideraret bona eterna, de facili uilisceret terrena. Gregorius: "Si bene consideremus que nobis promittuntur in celis, uiliscunt |91vb| animo omnia que habentur in terris."

36 Tercia discretio bonorum spiritualium. Carnalis enim homo non percipit ea que Dei sunt.

37 Quarta assequio bonorum operum, Apostolus: *Perfectorum est solidus cibus; hiis qui exercitatos habent sensus.*

38 Quinta²¹ intellectus Scripturarum, in Luca: *Aperuit illis sensum ut intelligerent*

¹⁷ Dominus| apos<tolus> written and deleted, and dominus corrected in the margin

¹⁸ acediosi| accidiosi

¹⁹ Tales| quales

²⁰ erraretis| enarretis

²¹ Quinta| quinto

Scripturas.

39 Sexta compassio proximorum, Apostolus: *Gaudere cum gaudentibus* etc.; sequitur: *Idipsum inuicem sentientes*.

40 Septima pregustatio bonorum eternorum, in canonica Iohannis: *Scimus quoniam Filius Dei uenit, et dedit nobis sensum*. Dominus det nobis in presenti sic passionem suam sentire et in cordibus habere, ut possimus post mortem cum eo regnare. Amen.

<SERMO 14A>¹
<Dominica infra octauam Pasche>
Sermo Guillermi de Luxi, dominica in oct<aua> Pasce

Hec est uictoria, que uincit mundum, fides nostra.

1 Verba ista scripta sunt in epistola Iohannis hodierna, et satis competunt presenti tempori² et hodiernae diei. In qua recitatur uictoria Christi, quando crucifixus, aereas potestates in seipso deuicit, de ipsis triumphauit, mortem destruxit, infernum spoliauit, sanctos patres secum in paradysum duxit. Vnde cantat Ecclesia:

Consurgens Christus tumulo,
uictor redit de baratro,
tyrannum trudens uinculo
et reserans paradysum.

Qui fortes aduersarios uinceret et magne potentie ligatis manibus et pedibus, honorabilis esset ista uictoria. Sic fecit Christus in cruce, unde Abacuc: *Cornua, scilicet Christi, in |97vb| manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors; et <egredietur> ad pedes eius diabolus.* Aliqui bene uellent habere cornua Moysi, <et> bene prebendari <et> diuites fieri, sed nolunt portare cornua crucis: nolunt facere penitenciam. Ibi tamen abscondi debet fortitudo Christiani in cruce penitencie.

2 Dico quod uictoria Christi nostra est; nam uictoria regis est uictoria exercitus, et uictoria capitis est membrorum.

3 Dico quod uictoria regis est exercitus. Verum est si exercitus <non> est coniunctus, posset rex Francie uincere Rome cum parte exercitus, et posset exercitus suus uinci Parisius, et tunc uictoria regis non est totius exercitus. Rex noster Christus est; si habemus fidem et bona opera, nobis attribuitur Christi uictoria.

4 Hoc est quod dicit Iohannes: *Hec est uictoria* etc. In quibus uerbis tangit tria: primo uictoriam, cum dicit: *Hec est uictoria*; <secundo> uictorie obiectum: *que uincit mundum*; <tercio> uictorie causam: *fi |98ra| des nostra*.

5 De primo, scilicet de ipsa uictoria, quantum ad nostram edificationem possumus expresse uidere septem necessaria ad optinendum uictoriam corporalem, que similiter requiruntur ad spiritualem. Barones enim et principes quando uolunt de inimicis suis uictoriam optinere, septem solent facere: primo, loca non munita munire; secundo, solent aduersariis suis uictualia subtrahere; tercio, solent adiutoria³ sibi multiplicare; quarto, solent pauperibus militibus stipendiariis dona largiri; quinto, solent se ad inuicem iuuare; sexto, solent hostes impugnare et

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 56rb-62va. J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 27 and 28; TH. KAEPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 112, n. 1550.

² temporij tempore

³ adiutoria] ad uictores

uincere; ultimo, de uictoria obtenta Deo gracias reddere.

6 Primo dico: qui uictoriam in bello uolunt optinere, solent loca non munita munire. O dulcissimi fratres, quot loca habemus immunita, quot infirmitates, quot defectus, quot peccata! Omnia ista oportet firmare tur |98rb|ribus uirtutum, muro caritatis, fossato humilitatis. Hoc signatur Ilo Paralipomenon, <ubi dicit> quod Io[n]athas ciuitatem Ierusalem *edificauit in montibus, construxit turres et castra <in saltibus>. Et pugnauit contra filios Amon*. Rex filiorum Amon dyabolus est, contra quem impugnando debemus nos munire, et facere ciuitatem in montibus, hoc est in sanctis hominibus, et castra in saltibus, hoc est in peccatoribus, <quia> in locis horribilioribus fiunt castra. Simile est quando Deus de aliquo pessimo peccatore facit castrum suum, sicut fecit de Magdalena Egypciaca et multis aliis, in quibus habundauit peccatum, superhabundauit et gracia.

7 Et nota quod dicit quod post uictoriam facti sunt ei tributarii, quia quando caro subicitur spiritui, quicquid agit homo totum cooperatur ei in bonum. Ergo qui uictoriam uolunt obtinere debent loca non munita munire. Hoc signatum est in libro Iudith de Holoferne qui impugnabat filios Israel. Dicitur ibi quod |98va| *preoccupauerunt uertices montium; circumdederunt muris uicos eius, et congregauerunt frumenta in preparatione pugne*. In ista auctoritate tanguntur tria, que solent homines facere in guerra.

8 Primo, solent loca munitissima occupare. Hoc notatur cum dicit: <Pre>*occupauerunt uertices montium*. Per "uertices montium" intelliguntur eminentie uirtutum. Ad uirtutes debet homo ascendere, qui de carne, mundo et dyabolo uult triumphare.

9 Secundo, solent loca non munita munire, cum dicit: *Circumdederunt muris uicos eius*. Solent homines tempore guerre muros ciuitatis munire, ut si est ibi aliqua ruptura, faciunt murum. Nos sumus in grauissima pugna; frequenter ergo debemus castrum cordis nostri munire, et si est ibi aliqua ruptura uidere, si humilitatis per superbiam, si castitatis per luxuriam, <et si> sobrietatis per gulam. Et sic qui |98vb| uictoriam uolunt obtinere,⁴ debent loca non munita munire.

10 Tertio, debent sibi necessaria preparare, quod notatur cum dicit: *et <congregauerunt frumenta in> preparationem <pugne> etc*. Tempore fertilitatis solent frumenta preparari ut habeantur tempore necessitatis. Modo est tempus mercandi paradysum, nam post mortem tanta erit penuria quod nihil ualebit homini, quicquid facere boni poterit. Ideo Salomon: *Quodcumque potest manus instanter operare etc*. Hoc est primum: qui uictoriam uolunt obtinere solent loca non munita munire.

11 Secundo, solent inimicis suis necessaria subtrahere. Ita et nos debemus facere. Non est castra ita forte in mundo, si esset altum usque ad celum, qui subtraheret ei omnia uictualia quin caperetur. O quot adiutoria habet caro: familiaritatem mulierarum, colloquia earum, superfluitates ciborum et potitum! Aliqui non cessant adiuuare carnem inimicum suum; nutri|99ra|unt eam melius quo possunt, et de anima non curant, cum tamen qui carnem uult uincere, debet a superfluis abstinere, unde Apostolus: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*. Debemus pugnare contra carnem inimicum nostrum subtrahendo adiutoria

⁴ obtinere| optinere

sibi, <et> castigando eam per penitenciam, sicut Apostolus <fecit>, qui dicit de seipso: *Castigo corpus meum* etc. Ita fecerunt sancti, de quibus scriptum est: *Sancti per fidem uicerunt regna*, <operati iustitiam> etc., boni iustitiarum <qui> fuerunt in terra carnis. Qui iusticiam faceret in seipso, non solum regnum mundi sed celorum uinceret. In Matth.: *Regnum celorum uim patitur, et uiolenti rapiunt illud*, Glossa ibi: "Grandis uiolencia in terra nasci, et celum rapere, <et> hoc habere per uirtutem quod non possumus habere per naturam." Magna esset uiolencia qui[n] castrum contra regem Francie lucraretur. Maxima ergo est uiolencia non <solum> castrum uel ciuitatem, sed regnum |99rb| celorum lucrari. Sic oportet secundo aduersarii necessaria subtrahere.

12 Tercio, oportet adiutoria sibi multiplicare. Ista adiutoria sunt bona opera uigilie, orationes, eleemosyne et similia. Exemplum habemus <in> Exodo, ubi legitur quod Iosue pugnavit contra Amalec; et cum Moyses leuaret manus, superabat Israel, et quando submittebat, uincebat Amalec. Et dicitur ibi quod *manus Moysi erant graues*. Amalec <interpretatur> lingens sanguinem <et> significat dyabolum qui sitit semper humanam sanguinem, quem debemus expugnare. Quomodo? Manus nostra leuando, hoc est opera nostra multiplicando, orationes faciendo, eius misericordiam implorando; nam dicitur I Mach. quod *non in multitudine exercitus <uictoria> belli, sed de celo uictoria est*. Mementote, ait Iudas, miles probus, *Moysi [qui] Amalec, non armis ferreis, sed precibus sanctis orando, deuicit*. Et dicitur ibi quod *manus Moysi erant graues*. Per 'manus graues' intelligo |99va| ardua opera. Credis, frater, gygantem dyabolum uno ictu destruere, quarta feria a carnibus abstinere, et sexta feria ieiunare. Certe oportet ardua opera facere, cilicium portare, carnem multum disciplinare. Et dicit quod *manus Moysi non sunt laxate a mane usque ad uesperam*, in quo signatur perseuerancia finalis. Aliqui bene pugnant in Quadragesima, sed post Pascha cito uincuntur. Vbi est lucta finalis, oportet quod ibi sit perseuerancia finalis. Inimici nostri demones non possunt mori quamdiu uiuimus, Ps.: *Inimici Domini mentiti sunt ei* etc. <Quare impii> uiuunt, et confirmati sunt etc.? Si semper uiuunt, quamdiu uiuit homo semper est in pugna. Ergo homo qui uult in bello uictoriam optinere debet sibi adiutoria multiplicare.

13 Quarto debet militibus stipendiariis dona dare. Sicut fecit Alexander militibus suis, ita et nos debemus facere si uolu|99vb|mus uictoriam de hostibus nostris habere. Milites isti stipendarii sunt pauperes Christi, et quod hoc sit uerum dicitur in Luca: *Facite uobis amicos de mammona iniquitatis* etc. Dicitur in Prouer.: *Victoriam et honorem optinebit qui dat munera*: uictoriam in presenti, in futuro honorem. Victoria in presenti supra modum honorabilis est triumphare de carne, mundo et dyabolo.

14 Videamus primo de carne. Si aliquis miles extraneus et pauper extra patriam suam uinceret aliquem <militem> fortem <et> potentem in patria sua, honorabilis esset ista uictoria. Miles pauper et exul est spiritus noster, quia *non habemus hic manentem ciuitatem*. Miles fortis et potens existens in patria est caro nostra. Quando ergo spiritus uincit carnem, honorabilis est hec uictoria.

15 Dicamus de mundo. Qui uincit castrum est honorabilis, magis honorabile est uincere ciuitatem, ergo maxime honora|100ra|bile qui omnia ista uicit. Sancti patres omnia uicerunt, quia totum mundum contempserunt. Plus enim merentur qui

terrena contempnunt quam illi qui ea possident. Ergo honorabilis uictoria est hec: de mundo triumphare.

16 Videamus de diabolo. Honorabilis <uictoria>⁵ est uincere potentem, honorabilior est uincere potentiorum, ergo honorabilissimum est uincere potentissimum. Dyabolus est potentissimus, quia dicit Iob: *Non est potestas super terram que ei possit comparari qui factus est ut nullum timeret*. Ergo honorabilis est uictoria uincere spiritum malignum. Et sic qui uolunt uictoriam optinere solent pauperibus stipendariis dona erogare.

17 Quinto solent se ad inuicem iuuare. Si uellent se separare, cito possent deuinci. Quando fratres in aliqua congregatione sunt unius uoluntatis, possunt cito deuincere dyabolum, sed quando contradicunt ad inuicem, dyabolus impugnat eos, mouens inter eos |100rb| lites et contentiones. Ideo de Iuda Machabeo dicitur quod surrexit ad pugnandum et adiuuabant eum fratres sui. Sic frater debet adiuuare fratrem ad pugnandum contra dyabolum, quia *frater qui adiuuatur a fratre quasi ciuitas firma* est.

18 Sexto non oportet nisi inimicos expugnare, unde dicit: *Hec est uictoria, que uincit mundum, fides nostra*. Quod a mundo uincimur defectus est fidei. Modus uincendi mundum est credere quod Ihesus est Filius Dei. Et que est ista conuenientia.⁶ Iste homo credit quod Ihesus est Filius Dei, ergo uincit mundum. Dico quod ista est optima demonstratio ex primis principiis. Primum principium est quod Ihesus est Filius Dei, et qui hoc credit, uincit mundum. Videte quomodo mundus pugnat contra nos duobus brachiis: brachio dextro prosperitatibus, ut diuiciis uel deliciis, ut alliciat; brachio sinistro aduersitatibus, ut terreat. Sed qui credit |100va| quod Ihesus est Filius Dei nec allicitur prosperitate, nec terretur aduersitate. Proba<tio>: Ecce Ihesus est Filius Dei, ergo si est ex parte Dei Filius Dei, <nec> ullum uere bonum ei defuit, nec ullum uere malum ei affuit. Sed in omni tempore uite sue prosperitas ei defuit, ergo non est uere bona; et in omni uita sua aduersitas ei affuit, ergo est uere bona. Sed si prosperitas est uere mala, non debet nos allicere, et si aduersitas est uere bona, ergo non debet nos terrere. Sed qui credit quod Ihesus est Filius Dei credit quod prosperitas est uere mala, ergo talis non allicitur prosperitate, et quod aduersitas est uere bona, nec ergo terretur aduersitate, et sic uincit mundum. Ergo qui credit quod Ihesus est Filius Dei uincit mundum.

19 Ultimo optenta uictoria principes solent Deo gratias reddere. Sic nos habita uictoria de carne, mundo et dyabolo, agamus gratias Deo, unde Apostolus: *Deo gratias reddo, qui dedit nobis uictoriam* |100vb| *per Ihesum Christum Dominum nostrum*. Ihesum ipsum rogemus etc.

⁵ uictoria] potena (?)

⁶ Not sure how this translates, perhaps: *And is this fitting argument?*

<SERMO 14B>¹
<Dominica infra octauam Pasche>
[sine rubrica]

Hec est uictoria, que uincit mundum, fides nostra.

1 Verbum illud est in epistola Iohannis, et satis et competit pres<enti> solempnitati. In quo recitatur uictoria Christi, quando cruci aff<ixus>, aereas potestates deuicit in seipso, triumphauit <illos>, mortem destruxit, et sanctos patres in paradysum duxit. Vnde canta<tur> in Ecclesia:

Consurgens Christus tumulo,
uic<tor> re<dit> de ba<rathro>,
ty<rannum> tr<udens> uin<culo>
et re<serans> para<dysum>.

Et Apostolus: *Tollens de meo c<h>irographum decret<i>, <af>figens illud cruci: palam triumphans <illos> in seipso, <et potestates> traduxit confidenter.* Qui fortes aduersarios et magne potentie uin<ceret> ligatis manibus, illa² esset honorabilis uictoria.³ S<ic> fecit <Christus> in cruce, unde in Abachuc: *Cornua, scilicet crucis, in ma<nibus> eius; ibi abscondita est fortitudo eius. Ante faciem eius ibit <mors>; et <egredietur> ad pedes dyabolus <eius>.* Dicit *cornua in manibus eius.* Non dici<t> cornua Moysi. Aliqui uolunt habere cornua Moysi, [?] <id est> bene uolunt [?] stipendari, set nolunt portare cor<nu>a crucis per asperitatem penitentie. *Ibi abscondita est f<ortitudo> eius, scilicet⁴ in cruce, ibi confregit arcum et scutum.*

2 <Dico> quod uictoria Christi nostra, et uictoria regis est exerci<tus>, et uictoria capitis est membrorum.

3 Primo dico: ui<ctoria> regis est exercitus. Verum est si exercitus <non> est coniunctus, <posset> rex <Francie> uincere Rome cum parte exercitus, et posset exercit<us> suus uinci⁵ Parisius, et tunc uictoria regis <non> est tocius exercitus. Rex noster Christus est; si habeamus fidem <et> bonam operationem, nobis attribuitur uictoria Christi. <Hec> est uictoria que uincit mundum, fides nostra. In uerbis istis Iohannis unum presupponit, scilicet pugnam, et ad <illud> superaddit uictoriam. Quod in tota Ecclesia sit pugna patet. Bene Ecclesia militans uocatur mater nostra. Iherusalem, que sursum est, u<o>catur Ecclesia triumphans, et quod Ecclesia hic sit militans, representatur bene in processionibus, que fiunt cum uexill<is>, <que signant> pugnam que est in Ecclesia. Beatus Iohannes presupponit <pugnam>. Superadditur autem uictoria in uerbis istis: *Hec est uictoria.*

4 <In uerbis istis tangit tria: primum est uictoria ipsa, cum> dicit: *Hec est uictoria*, secundum est uictorie obiectum, ibi: *que uinc<it> mundum*; tercium uictorie

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Cambridge, Pembroke College, 238, ff. 14va-16ra. Much of the text in this manuscript was hidden or swallowed up in the gutter. Sermon 14A was used to supply endings and beginnings of words.

² illa] ille

³ uictoria] uictorie

⁴ scilicet] crucis added after and expunged

⁵ uinci] p'as written after and expunged

causa, ibi: *fides nostra*.

5 De pri<mo>, scilicet de ipsa uictoria, quantum ad nostram edi<ficationem> possumus uidere expresse septem, que sunt necessaria ad uictoriam corporalem, que etiam requiruntur ad uict<oriam> spirituaalem. Barones et principes quando uolunt <uic>toriam optinere, septem solent facere. Primum est loc<a> <im>munita munire; secundo, solent aduersariis⁶ adiu<toria> subtrahere; tercio, solent sibi adiutoria multiplicare; quarto, solent pauperibus militibus stipendiar<iis> dona erogare; quinto, solent se adiuuare; <sex>to, solent hostes impugnare; et septimo, de u<ictoria> obtenta solent gracias reddere.

6 Primo dico: qui uolunt in bello uictoriam optinere, solent loca immunita munire. O dulcissimi fratres, quot l<oca> <habe>mus immunita, quot infirmitates, quot peccata, quo<t> defectus caritatis, quot defectus humilitatis, q<uot> defectus pietatis et sobrietatis! Omnia ista oportet firmare turribus uirtutum, muris caritatis, et fossa<to> humilitatis. Quod signatur Ilo Paralipomenon, ubi dicitur quod Io[n]athas, rex |15ra| Ierusalem, *edificauit ciuitatem in montibus, et construxit turres et castra <in saltibus>*. Et *pugnauit contra regem filium Amon, et facti sunt ei tributarii*. Rex filiorum Amon est dyabolus, contra quem debemus nos munire et facere ciuitatem in montibus, id est in sanctis hominibus, et castra in saltibus, id est in peccatoribus, <quia> in locis horribilibus fiunt castra. Similiter quandoque de pessimo peccatore facit Deus castrum suum, ut patet in Magdalena. Et uidete quod dicit quod post uictoriam facti sunt ei tributarii, quia qui uincitur, seruus eius a quo uincitur efficitur. Vnde in canonica Petri: *A quo quis superatus est, <eius> seruus effectus est*. Dicit *facti sunt tributarii*. Quando caro subicitur <spiritui, quicquid agit homo, totum> cooperatur ei in bonum, etiam peccata mortalia que fecit cooperantur in bonum, quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Et in libro Sapientie dicitur: *Filios tuos bonos, drachonum uenenatorum non uicerunt dentes*. Drachones sunt de<mones>. Ita dyabolus uolat in superbis, <ignem> spirat in cupidis et auaris, et natat in luxuriosis. Dentes drachonum sunt temptationes demonium, a quibus Dominus liberat bonos. Set de malis dicitur: *Illos autem muscarum et locustarum interficieba<n>t morsus, ne inueniebatur salus illorum, erant enim digni exterminari ab illius*, quia tales ad modicam temptationem succumbant. Alii fortissimas temptationes superabant. Igitur qui uictoriam uolunt optinere debent loca immunita munire. Quod significatur in libro Iudith⁷ de Holoferne, qui impugnavit filios Israel. Dicitur ibi quod filii Israel pre timore *preoccupauerunt uertices moncium; circumdederunt muris uicos eius, et congregauerunt frumenta in preparationem pugne*.

7 Tangit tria que homines consuerunt in guerra facere. Primo, solent immunitissima loca occupare.⁸ Secundo, solent loca immunita munire. Tercio, solent sibi necessaria preparare.

8 Primo dico: homines in guerra solent loca immunitissima occupare, quod notatur cum dicitur: *Occupauerunt uertices moncium*. Per "uertices moncium" significantur eminencie uirtutum. Debet ad eminenciam uirtutum ascendere⁹ qui de dyabolo et mundo uult triumphare, et non solum debet occupare eminentiam, set

⁶ aduersariis] aduersarios

⁷ Iudith] Iudicum

⁸ occupare] munire

⁹ ascendere] conscendere

debet eam preoccupare, scilicet antequam. Sic uictus fatuus esset qui esset in periculo corporalis, et antequam esset captus non occuparet fortem munitionem. Sic debet intrare religionem ante peccatum. Quod homo non deberet intrare religionem antequam peccasset, hoc esset dyabolicum dicere.

9 <Secundo, solent loca immunita munire, cum dicit>: *Circumdederunt muris uicos eius*. Solent homines in tempore guerre circuire muros ciuitatis, et si est ibi¹⁰ ruptura, faciunt murum. Nos sumus in pugna, immo in grauissima pugna. Frequenter debemus castrum cordis circuire et uidere si est ibi ruptura humilitatis per superbiam, ruptura caritatis per inuidiam, ruptura sobrietatis per castrimargiam, ruptura castitatis per luxuriam, ruptura oculorum per illicitos aspectus, ruptura auditus per illicitos auditus, ruptura tactus per illicitum tactum. Multe sunt rupture in nos, unde Iob: *Quasi rupto muro, et aperta ianua, irruerunt in me, et ad meas miseria deuoluti sunt*. Igitur qui uictoriam uolunt optinere, primo debent loca immunita munire.

10 Tercio,¹¹ <solent sibi necessaria preparare>, quod notatur cum dicit: *congregauerunt frumenta*. In congregatione pingue tempore fertilitatis solent frumenta¹² congregari ut habeatur tempore necessitatis. Modo est tempus mercandi | 15rb| paradisum, et post mortem tanta erit penuria quod in modica poterit homo bene operari, unde in Ecclesiastico: *Quodcumque <facere> potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec racio, nec sciencia, nec sapiencia <erunt> apud inferos, quo tu properas*. Primum igitur quod faciunt qui uictoriam in bello uolunt optinere est quod loca immunita solent munire.

11 Secundo, solent inimicis adiutoria subtrahere. Ita et nos debemus facere. Non est castrum ita forte in mundo, si esset altum usque ad celum, qui subtraheret ei omnia adiutoria ut uictualia quin capere. Vis uincere carnem, mundum et dyabolum, subtrahe eis adiutoria. O quot adiutoria habet caro: familiaritatem mulierum, colloquia mulierum, superfluitatem cibi et potus! Mundo subtrahe[re] ambitionem et dyabolo superbiam. Set uidetur quod impossibile sit aliquibus¹³ uincere carnem, quia non cessant ei adiutoria multiplicare superfluitatem cibi et potus, cum tamen qui carnem uult uincere, debeat se a superfluis abstinere, unde Apostolus ad Corinthios: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem <ut> coronam [in]corruptibilem accipiant: alii quidem incorruptam*. Debemus ergo pugnare contra carnem subtrahendo ei adiutoria et ipsam per¹⁴ penitentiam macerando, sicut fecit Apostolus, qui dixit: *Ego pugno, non quasi erem¹⁵ uerberans: set castigo corpus meum, et in seruitutem redigo: ne <forte> cum aliis predicauerim, ipse reprobis inueniar*. De primo modo uincendi dicit Apostolus ad Hebreos: *Sancti per fidem uicerunt regna, operati iusticiam, adepti repromissiones, obtinuerunt ora leonum, <extinxerunt impetum ignis, fugerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate>, castra uerterunt Assiriorum, fortes facti sunt in bello*. Dicit operati sunt iusticiam, scilicet carnem macerando boni iusticiarii fuerunt sancti in terra carnis. Quare senciant aliqui rebellionem in carne? Quia non faciunt iusticiam in terra carnis, scilicet carnem per penitentiam macerando. Ysa.:

¹⁰ ibi] iterpm (?) written after

¹¹ Tercio] secundo

¹² frumenta] homines (!)

¹³ aliquibus] aliquos

¹⁴ per] in written, see twelve lines below

¹⁵ erem] aera

Quia non fecimus iusticiam in terra, scilicet carnis nostre, *ideo non ceciderunt habitatores terre*, id est mali motus carnis, immo nos cadere fecerunt. Qui iustitiam faceret in seipso non solum regnum mundi, set etiam regnum celi uinceret. Dicitur in Mt.: *Regnum celi uim patitur, et uiolenti rapiunt illud*. Dicit Glossa: "Grandis uiolencia in terra nasci, et celum rapere, <et> hec habemus per uirtutem, quod non possumus habere per naturam." Magna uiolencia esset qui castrum contra regem Francie lucraretur. Maxima igitur <est> uolencia non solum castrum etiam ciuitatem et regnum Francie, set regnum celorum lucrari per uiolenciam. *Opturauerunt ora leonum*, id est detractorum, *extinxerunt impetum ignis*, id est temptationis, *fugauerunt aciem <gladii> Aciriorum*,¹⁶ id est ambitionum, mundanarum, cupiditatum, *fortes facti sunt in bello*, carnem, mundum et dyabolum deuicendo. Hoc est optimus modus uincendi, scilicet subtrahendo adiutoria. Si esset homo coinquinatus a uestigio pedis usque ad uerticem capitis, non esset bonus modus uincendi ipsum, sicut fugiendo, quia licet alius esset illo multo forcior, tamen si secum uellet pugnare, coinquinaret se. Totus mundus coinquinatus est, | 15va | quia *cor<r>uperat omnis caro uiam suam*, quod modo integrum est corruptum. Igitur qui mundum uolunt uincere, consilium optimum est ipsum fugere, unde beatus Petrus: *Fugite eam, que*¹⁷ *in mundo est*,¹⁸ *<concupiscencie> corruptionem*. Et se egrediamini de medio Babilonis, ne forte mol<l>escat capud uestrum. Igitur qui uult uincere debet [loca immunita munire secundo] aduersariis adiutoria subtrahere.

12 Tercio, debet sibi adiutoria multiplicare. Adiutoria sunt bona opera abstinencie, uigilie, peregrinationes, orationes et deuotiones. Exemplum habemus in Exodo, ubi dicitur quod Iosue pugnauit contra Amalec, et cum Moyses leuauit manus superauit populus Israel, et quando submittebat manus, tunc uincebat populus Amalec. Et dicitur ibi quod erant graues manus Moysi. Et factum est ut non laxarentur manus eius usque ad occasum solis. Amalec interpretatur lambens sanguinem et signat mundum, carnem, et dyabolum, qui non cessa[n]t sanguinem lingere. Istum Amalec debemus expugnare et demollire, unde in libro Regnum: *Vade, et percutite Amalec, et demollire <uniuersa eius>, et occidere a uiro usque ad mulierem, et a paruulo usque ad lactantem*. A uiro, id est a consensu, usque ad mulierem, id est usque ad operationem, a paruulo, id est ab primo motu, usque ad lactantem, id est delectionem. Set quomodo poterimus uincere mundum, carnem et dyabolum? Certe leuando manus, id est bona opera multiplicando, orationes ad Deum fundendo, et Dei misericordiam implorando. Isto modo uincitur dyabolus, quod signatur in libro Machabeorum, ubi dicitur: *Non in multitudine exercitus uictoria belli, set a Deo uictoria est. Mementote Moysi, qui Amalech non ferro nec armis ferries <pugnando>, set precibus sanctis orando deiecit*. Dicit quod Moyses habuit manus graues. Per manus graues significantur opera ardua. Credis gigantem uno ictu destruere uel interficere? Certe non abstinendo quarta feria a carnibus, <et> ieiunare feria sexta in hy<e>me quando dies breues sunt, non poteris superare dyabolum. Oportet abstinere ab illicitis, et induere cilicium, et facere asperam pe<nitenciam>, scilicet¹⁹ uincere mundum, dyabolum, et carnem. †Aliquis diues dat pauper† Vnde dicit hic non est

¹⁶ Aciriorum = Assiriorum

¹⁷ que| qui

¹⁸ est| ipsum fugere written after and deleted

¹⁹ scilicet| suum

modus²⁰ uincendi. Oportet quod homo faciat opera grauia, unde dicitur: *In certamen forte dedit illi ut uinceret*. Factum est ut non laxarentur manus Moysi a mane usque ad uesperam, in quo signatur perseuerancia finalis. Pugnant aliqui bene in Quadragesima, <set> post Pasca uincuntur. Vbi est uict<ori>a finalis, oportet quod sit perseuerancia finalis. Inimici nostri non possunt mori quamdiu uiuimus, Ps.: *Inimici mei uiuunt, et confirmati sunt super me*. Et si semper uiuunt, quamdiu uiuis semper est continua pugna. Igitur debet homo qui in bello uult uictoriam optinere sibi adiutoriam multiplicare.

13 [Quarto, debet homo pauperibus militibus stipendariis dona erogare. Sicut Alexander fecit, sic debemus nos facere si uolumus uictoriam optinere sibi adiutoriam multiplicare.] Quarto, debet homo pauperibus militibus stipendariis dona erogare. Sicut fecit Alexander, sic debemus nos facere si uolumus uictoriam optinere. Milites stipendarii sunt pauperes, et quod hoc sit uerum patet, quia dicit |15vb| Iacobus: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum*. Ipsorum est regnum celorum, set non <solum> sunt possessores in Euuangelio. Vbi dicit Dominus: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum*; et similiter: *Beati qui persecutionem paciuntur, quoniam ipsorum est regnum celorum*, utroque beati. Et dicit Glossa notabile uerbum: "Octaua beatitudo redit ad c<a>pu<d>." Capud: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum*; et octaua est: *Beati qui persecutionem paciuntur*. Prou. dicitur: *Victoriam et honorem optinebit qui dat munera; et animas aufert accipiencium*. Dicit uictoriam et honorem optinebit, id est uictoriam honorabilem. In presenti est supra modum honorabile uictoria <triumphare> de carne, <mundo> et diabolo.

14 Videamus primo de carne. Si miles²¹ aliquis extraneus pauper e<xtra> patriam suam uinceret aliquem <militem> ditem, potentem, fortem, he<c> <esset> honorabilis uictoria. Miles pauper et exull[em] <est> spiritus, quia <non> habemus hic manentem ciuitatem, set futuram inquirimus. M<iles> potens, fortis, et in patria sua existens est caro. Quando <spiritus> uincit carnem, illa est honorabilis uictoria.

15 Dicamus de <mundo>. Quando uinceret castrum esset honorabile, uincere ciuitatem magis²² honorabile est <et> uinc<ere> regnum, ergo maxime hon<orabile> est qui omnia illa uincit. Sancti patres uincerunt omnia ista cont<emp>nendo ea, unde dicit Dominus: *Omnis terra, quam calcauerit <pes> uester, nostra erit*. Magis igitur merentur qui omnia contempnunt <quam> possident.

16 Videamus de dyabolo. Honorabilis uic<tor>ia <est> uincere potentem, honorabilior uictoria est uin<cere> <po>tentior, set honorabilissima est uincere poten<tissimu>m. Dyabolus est potentissimus, quia *non est potestas <super> terram que ei uleat comparari*. Oportet igitur de celo uen<ire> <uic>toriam. Vnde et dyabolus a principio facillime uincitur: *Scribo uobis iuuenes, quoniam fortes estis, et uerbum Dei <ma>net in uobis, et uicistis malignum*. Quarto igitur qui <uic>toriam uolunt optinere solent pauperibus militibus <sti>pendariis dona erogare.

17 Quinto solent se adiuuare. Si uellent se separare, cito essent deu<inci>. Quot sunt aduersitates que nos turbant! <Multi>plicati sunt super capitis capillos mei. Obsiderunt in g<yro> tabernaculum meum. Legitur quod in uno homine fuit l<egio>

²⁰ modus| motus

²¹ miles| sises (?)

²² magis| maxime

demonum †...†²³ Quomodo posset solus superare? Propter hoc dicitur: <Ve> soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem <se>. Si est in bona congregatione multum ualet sibi ad uictoriam <op>tinendum. Sum quandoque in lecto, habeo temptationes, ideo ad <dexteram> et a sinistris, ante et retro in dormitorio bonos <commi>lites, cogito non poterit tibi nocere. Legitur in libro M<achabeorum> de Iuda quod congregata multitudo, intolerabilis g<enti>bus efficiebat<ur>. Et congregatus est conuentus ut essent parat<i> <in> prelium. Miratur aliquis quod uix per diem in seculo se p<otest> <ab>stinere a peccato, ponet se in religionem et omnibus <diebus> uite sue, forte per quadraginta annos, cauebit sibi non peccabit. Et est ratio quia solus non potest sibi <cauere> a peccato, set in congregatione bene potest. Dicitur de As<s>iriis in Iudith: Quia non erant congregati, ibant precipites <in> fugam; et uno agmine filii Israel persequentes A<ssir>ios debilitabant eos; et uictores reuersi sunt in Betulliam. Et de Iuda dicitur quod sur<r>exit Iudas, et adiuuabat fratres suos, et preliabatur <prelium> Israel cum leticia. | 16ra |

18 Sexto, non restat nisi inimicos expugnare. Hec est uictoria, que uincit mundum, fides nostra. Quis uincit mundum nisi qui credit quoniam Ihesus est Filius Dei? Optime docet modum uincendi. Quod uincitur a mundo, hec est defectus fidei. Vnde Apostolus ad Hebreos: Fide grandis factus Moyses negauit se <esse> filium filie Pharaonis, magis eligens cum populo Dei affligi, quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuicias estimans thesauro Egyptiorum, improprium Christi erat: enim aspiciebat²⁴ in remunerationem. Set que conueniencia est hic.²⁵ Credit quod Ihesus est Filius Dei, ergo uicit mundum. Dico quod optima est demonstratio ex primis principiis. Primum principium est quod Ihesus est Filius Dei, et qui credit hoc, uicit mundum. Videte quomodo mundus pugnat contra nos duobus brachiis, scilicet brachio dextro, id est prosperitate, ut alliciat; et brachio sinistro, ut terreat, id est aduersitate. Et qui credit quod Ihesus est Filius Dei, nec al<l>icitur prosperis, nec terretur aduersis. Ihesus est Filius <Dei>, ergo n<ec> ullum uere bonum ei defuit, nec ullum uere malum ei affuit. Set <to> tempore uite sue prosperitas ei defuit, ergo non est uere bona; et toto tempore uite sue aduersitas ei affuit, ergo est uere bona. Set si prosperitas est uere mala, ergo non debet nos allicere, et si aduersitas est uere bona, ergo non debet nos terrere. Set qui credit quod Ihesus est Filius Dei credit quod prosperitas est uere mala, et quod aduersitas est uere²⁶ bona, ergo non al<l>icitur prosperitate, nec terretur aduersitate. Et si sic, uicit mundum. Ergo qui credit quod Ihesus est Filius Dei uicit mundum.

19 Septimo obtenta uictoria principes <Deo> reddunt gracias. Sic nos habita uictoria de carne, mundo et dyabolo, debemus Deo gracias ref[f]erre, unde Apostolus: Deo gracias, qui dedit nobis uictoriam per Ihesum Christum, qui mortuus est pro nobis. Rogabimus . . .

²³ The best that I could make of the transcription within the †...† is: nos igitur si noluimus ipsos expugnare, (?) nos adiuuare et in bona congregatione ponere, qui (?) est ex una parte et parentes et socii mali sunt ex? ali<a> parte.

²⁴ aspicebat] aspiciens

²⁵ I am not sure of the meaning, perhaps: But this fitting argument is [set forth] here.

²⁶ uere] mala et quod aduersitas written after and deleted

<SERMO 15>¹

<Dominica tertia post Pascha>

Sermo defuncti Guillermi de Luxi, dominica tertia

Obsecro uos tanquam aduenas et peregrinos abstinere a carnalibus desideriis, que militant aduersus animam.

1 Saluator in Iohanne ita dicit: *Spiritus ubi uult spirat*. Spiritus ubi uult spirat homini intelligentiam, Iob: *Inspiratio Omnipotentis dat intelligen| 104rb| tiam*. Spiritus sanctus ubi uult dat gratiam, Apostolus: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*. Spiritus sanctus ubi uult promittit facundiam, in Matth.: *Non enim uos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris uestri qui loquitur in uobis*. Ista tria, intelligentia, gracia et facundia, sunt predicatori necessaria, et quia mihi ista tria deficiunt et a Deo sunt, rogemus primo Deum et cetera.

Obsecro uos etc.

2 Consuetudo est boni medici uisitantis infirmum suum, qui conualuit de magna infirmitate et accepit medicinam confortatiuam, ut doceat infirmum a quibus debeat abstinere et quid debeat facere, ut possit sanitatem recuperatam seruare. Sic in ista epistola pastor et medicus animarum, Petrus apostolus, nos <docet>, qui in ista Quadragesima per peccata plurima infirmi fuimus, qui per confessionem conualuimus, et medicinam non solum purgatiuam, scilicet penitentie, sed confortatiuam accepimus, scilicet Corpus Christi, in die Pasce. Quia recidiuum est periculo| 104va| sum, scilicet tempus istud Pascale, ideo docet in presenti epistola a quibus debemus abstinere et quid debemus facere. Vt quid enim hoc tempore ueniunt tot tempestates, tot tribulationes, tot hominum mortalitates? Certe, quia multi indigne in peccato aliquo mortali die Pasce Corpus Christi receperunt, et alii, *quasi canis <qui reuertitur> ad uomitum*, post Corpus Christi assumptum redeunt ad pristina peccata sua. Ideo cantat Ecclesia in isto tempore: “Ab omni mortis impetu, tuum defende populum.” Propter hoc in isto tempore consueuit Ecclesia processiones generales <facere>, letanias cantare, orationes dicere, ut quod non ualet oratio unius Christiani ualeat oratio plurium, quia ut ait Ieronimus: “Impossibile est multorum preces posse non exaudiri.” Facilius audit abbas conuentum totum quam aliquem sibi subditum. Monet ergo apostolus Petrus in hac espistola a quibus est abstinendum et quid est faciendum | 104vb| .

3 Et uidete quod tria sunt per que homo reincident in peccatum, quia ut ait Iohannes in canonica sua: *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis aut concupiscentia oculorum aut superbia uite* [quoad deum]. Contra istam triplicem deordinationem² et peccati radicem, a quibus ueniunt alia peccata, tria ponit apostolus Petrus in epistola hodierna. Nam contra concupiscentiam carnis quoad seipsum, monet ad carnalium desideriorum abinentiam, cum dicit: Obsecro uos

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 104ra-108vb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 478, n. 19 and 20; TH. KAEPPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 113, n. 1555.

² deordinationem] deo ordinationem

etc. Contra secundam deordinationem, concupiscentiam oculorum quoad proximum, monet <ad> conuersionem bonam, cum dicit: *Conuersionem uestram inter gentes habentes bonam*. Contra terciam, superbiam uite quoad Deum, monet ad humilitatis subiectionem, cum dicit: *Subiecti estote omni humane creature propter Deum*.

4 Primo ergo monet Apostolus ad carnalium desideriorum abstinenciam, cum dicit: *Obsecro uos* etc. In quibus |105ra| uerbis tanguntur quatuor: am<m>onitio uel obsecratio, cum dicit: *Obsecro uos*; secundo obsecrationis ratio, cum dicit: *tanquam aduenas et peregrinos*; tercio abstinencie materia, cum dicit: *a carnalibus desideriis*; quarto abstinencie causa, quia *pugnant³ contra animam*.

5 Primo ergo tangitur obsecratio, cum dicit: *Obsecro*, id est peto ob sacram eius passionem, resurrectionem, ascensionem. Poterat iste, qui erat summus pontifex et pastor animarum, interpellare subditos et ad superiorem de illa appellare, sed ipse obsecrate, contra multos modernos prelatos qui subditis suis cum austeritate precipiunt, et si non fit statim uoluntas eorum, precipitant, fulgurant, com<m>inantur. Et impletur in multis illud Ezechielis: *Disperse sunt oues mee, eo quod non erat pastor*. Non sunt boni pastores qui ita imperant cum crudelitate, non curantes de animarum salute, cum *facte sunt* ait *oues mee [in] deo* |105rb| *rationem omnium bestiarum agri*, scilicet demonum inferni.

6 Quatuor modos obsecrandi legimus in Scriptura: primo, debet obsecrare prelatus subditum ad Dei reconciliationem; secundo, debet obsecrare Deum pro subdito ad peccatorum suorum remissionem; tercio, debet obsecrare Deum pro seipso per propriorum defectuum cognitionem et diuinorum beneficiorum recognitionem; quarto, <debet obsecrare> unus pro alio per mutuam caritatem et deuotam orationem.

7 Primo dico: debet prelatus obsecrare subditum quando scit eum in aliquo mortali peccato ut reconcilietur Deo. Sic Paulus apostolus obsecrabat subditos suos, dicens: *Obsecramus⁴ pro Christo, reconciliamini Deo*. Modum quo possumus Deo reconciliari ostendit, ad Romanos dicens: *Obsecro uos pro misericordia Dei, ut exhibeatis, hoc est uoluntarie prebeatis, non expectando infirmari usque ad mortem; et quid: corpora uestra, non uestimenta |105va| uestra; quomodo: hostiam per carnis mortificationem, uiuam et sanctam per cordis puritatem, Deo placentem per rectam intentionem, rationabile obsequium uestrum per dilectionem*.

8 Secundo debet obsecrare prelatus Deum pro subdito ut Deus remittendo ei peccata sua conferat sibi gratiam. Sic Moyses obsecrabat Deum pro grege sibi commisso in Exodo: *Obsecro, Domine, peccauit populus tuus peccatum grande: aut dimitte eis hoc peccatum, aut certe dele me de libro tuo quem scripsisti. Idem: Si inueni gratiam in oculis tuis, obsecro ut gradiaris nobiscum et iniquitates nostras auferas*.

9 Tercio debet obsecrare Deum pro seipso per propriorum defectuum cognitionem. Sic faciunt isti infirmi ardentes, qui transeuntibus ostendunt infirmitates, quas habent in manibus uel in pedibus. Sic Deo ostendamus infirmitates nostras, peccata nostra et defectus, nec solum Deo, sed etiam |105vb| uiris religiosus et sanctis qui non querunt nisi transire de hoc mundo ad Deum. Hoc modo

³ pugnant| pugnauit

⁴ Obsecramus| obsecramur

obsecrabit regina Hester regem Assuerum, dicens: *Si inueni gratiam in oculis tuis o rex, et tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, et populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, iugulemur, et pereamus* – traditi sumus, scilicet diabolo, nisi Deus nos custodierit, ut conteramur, spiritu, iugulemur, in corde, pereamus, similiter in anima et corpore. Modus obsecrandi est in istis pauperibus de ostio in ostium transeuntibus, qui ostendentes aliis suam paupertatem et scutellam, dicunt: “Pro salute uestra, amore beate Marie et aliorum sanctorum, miseremini nostri.” Ita nos, qui sumus pauperes et omni bono uacui, defectus nostros Deo et sanctis hominibus ostendamus orationibus et intercessionibus, quia ut dicitur in Prou.: *Cum obsecrationibus erat pauper, diues* |106ra| *autem effabitur rigide*. Modus alius obsecrandi est recolendo beneficia diuina, ut dicat quilibet: “Obsecro, Domine, per tuam incarnationem, passionem, resurrectionem.” Ita isti ideo clamatores faciunt, qui beneficia sibi facta recolunt et patrum precedentium, dona ut facilius impetrent. Sic Daniel obsecrabit Dominum, dicens: *Obsecro te, Domine <Deus> magne, fortis, et terribilis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus te. Peccauimus, iniquitates fecimus, recessimus a mandatis. Tibi, Domine, gloria; nobis confusio, usque hodie*.

10 Quarto debet obsecrare unus pro alio per deuotam orationem. Sic docet Apostolus ad Timotheum: *Obsecro, inquit, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gracularum actiones pro omnibus hominibus* etc. Hic tangit quatuor genera hominum. Dicit *obsecrationes* pro defunctis qui sunt in purgatorio, *orationes* pro illis qui sunt in mortali peccato ut Deus det eis gratiam faciendi |106rb| penitentiam; dicit *postulationes* pro bonis in patria, *gracularum actiones* pro beatis in gloria. Modus sic obsecrandi Deum est sicut illi qui sunt questionarii predicatorum, qui predicant tot bona in ecclesia illa fieri. Ita unus pro alio debet orare Deum per deuotam orationem; unde Iacobus: *Orate pro inuicem ut saluemini: multum enim ualet oratio iusti assidua*. Ille qui orat pro alio facilius impetrat, et reuertitur ad ipsum oratio sua, Ps.: *Oratio mea in sinu meo conuertetur*. Quod autem plus ualeat talis oratio, que fit pro alio, patet exemplo uisibili, quia si quis uellet intrare ad regem Francie, et peteretur ab eo, cui domino estis? si diceret sibi ipsi, cito expelleretur; si diceret se esse ad regem Nauarrie uel comitem Flandrie, statim intraret. Sic qui pro alio orat et dignus est, facilius exauditur.

11 Sic habemus primum principale huius sermonis, obsecrationem, cum dicit: *Obsecro*.

12 Secundo tan|106va|gitur obsecrationis causa et ratio, cum dicit: *tanquam aduenas et peregrinos*. Qui aduene et peregrini sunt et longas dietas habent facere non multum curant de corporis cibis portare. Sufficit eis uictum et uestitum habere; sic Apostolus ad Timotheum: *Habentes uictum et uestitum, hiis contenti simus*. Aduene et peregrini sumus. Dicebat ille rex eximius Dauid propheta: *Aduena ego sum et peregrinus sicut omnes patres mei*. Eciam rex Francie aduena est, quia non est in patria sua sed tendit ad aliam patriam. Vnde aduene sunt qui in alio loco sunt; peregrini qui de loco ad locum tendunt. Vnde omnis aduena est peregrinus, sed non econtro. Mali enim homines aduene sunt qui extra patriam suam sunt et ad patriam uenire non anhelant. Sed certe sancti, qui in corde in patria celesti conuersantur illi sunt peregrini.

13 Quadruplex autem est ratio quare uita sanctorum dicitur peregrinatio.

14 Vna <ratio est> quia peregrinus mul|106vb|tis penalitatibus affligitur antequam ueniat ad locum ad quem tendit. Sic sancti uiri in presenti multis tribulationibus affliguntur antequam ueniant ad patriam, quo uenire cupiunt, Ps.: *Multe tribulationes sunt iustorum, sed de omnibus etc.*

15 Secunda ratio est quare <quia> peregrinus extra patriam suam non cognoscitur, sed quasi trutannus habetur: in partibus suis honoratur, in aliena terra uilis habetur. In cuius signum dicitur quod Dominus non fuit cognitus in specie peregrini a duobus discipulis suis die Pasche ad uesperam euntibus in Emmaus castellum. Ita sancti uiri a mundanis istis non cognoscuntur. Notitia, dico, approbationis. Dicebat Dauid: *Extraneus factus sum et peregrinus etc.* Similiter Christus in passione non fuit cognitus a suis, unde: *Fratres mei quasi alieni recesserunt a me.* Sed in patria ad quam tendunt, ibi erint bene cogniti.

16 Tercia ratio est quia peregrinus primo letanter |107ra| suscipitur, sed in exitu hospitii districte sibi computatur, usque ad pictam. Sic certe homini quando anima recedet a corpore suo districte computabitur, quando de omni uerbo otioso oportebit ei rationem reddere. Quid ergo de detractorio? de blasphemo? de tempore sibi commisso? Ps.: *Cum accepero tempus etc.*

17 Quarta ratio est quia quantumcumque peregrinus sit extra patriam suam corpore, tamen in patria sua est corde. Vnde si rex esset ultra mare et quereretur ab eo ubi esset, diceret quod corpore esset ultra mare, sed cor suum esset Parisius. Ita nos qui sumus in hoc mundo corpore, tamen corde conuersemus in celesti patria, ut dicamus cum Apostolo: Nostra conuersatio in celis est. Dominus concedat nobis in presenti sic peregrinari per gratiam, ut post mortem habeamus gloriam. Amen.

<COLLATIO>

Sermo eiusdem fratris in eadem dominica

Obsecro uos tanquam aduenas et peregrinos etc.

18 Dictum est in primo sermone quod apostolus Petrus mo|107rb|net nos obsecrando ad carnalium desideriorum abstinenciam. Dicamus in isto sermone modum abstinendi <cum dicit: *a carnalibus desideriis*>, et causam cum subdit: *quia pugnant contra animam.*

19 Circa primum, nota quod debemus abstinere a carnalibus desideriis quadrupliciter: primo, ut ea abhominemus; secundo, ut ea destruamus; tercio, ut futura precaueamus; quarto, ut inchoata⁵ non consumamus.

20 Dico, primo, quod debemus abstinere a carnis desideriis ea abhominando, ut quod prius erat anime uoluptati sit postea abhominacioni et detestationi. Nam ita est de uoluntate carnis, sicut de cibo uenenato. Quando aliquis sumpsit cibum uenenatum est in periculo mortis, cor ingrossatur, et uomit ne moriatur. Ita cor peccatoris debet ingrossari per cordis contractionem; debet euomere peccatum suum quasi cibum toxicatum per oris confessionem, et tunc non morietur, hoc est non dampnabitur per penitentie |107va| satisfactionem. O qui bene consideraret presens tempus momentaneum, cito peccata sua in confessione euomeret! Dicitur in Exodo quod Moyses percussit uirga flumina Egypti et uersa sunt in sanguinem. Spiritualiter

⁵ inchoata| inchoata

uirga ista crux Christi sancta; ista flumina Egypti sunt carnis desideria, que percutiuntur et uersa sunt in sanguinem. Quando homo habens in corde suo Christi passionem euomit peccata sua per confessionem, sicut ad litteram homo euomit sanguinem. Peccatum enim in Scriptura uocatur sanguis, Ps.: *Libera me de sanguinibus*; et propheta Osee: *Sanguis sanguinem tetigit*.

21 Secundo debemus abstinere a carnis desideriiis ut ipsa destruamus et mortificemus. Vnde Apostolus ad Galatas: *Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis,⁶ uiuetis*. Nota quod inimicus homo mortuus non potest nocere. Non est peior nobis inimicus quam caro nostra, quia *inimici hominis domestici eius*. |107vb| Quando ergo per penitentiam bene disciplinatur et mortificatur, non potest nocere. Ideo sapienter respondit quidam sanctus pater cuidam querenti sibi quare ita corpus suum per penitentiam affligeretur: “Quia ipse occidit me, et ego occidam ipsum quasi inimicum.” Sic fecit apostolus Paulus, qui dixit de seipso: *Castigo corpus meum*, scilicet per penitentiam, *et in seruitutem redigo*, scilicet ut caro seruiat spiritui.

22 Tercio debet homo abstinere a carnis desideriiis futura precauendo. Vnde Apostolus ad Th<h>ess.: *Hec est uoluntas Dei, sanctificatio uestra; ut sciat unusquisque uas suum possidere in sanctificatione[m]: non in passione desiderii, sicut et gentes que ignorant Deum*. Et ad Thimotheum: *Qui uolunt diuites fieri, incidunt in laqueos dyaboli, et desideria multa que submergunt hominem etc.* Sequitur: *Tu autem, homo Dei, fuge ista: sectare pietatem et iusticiam*.

23 Quarto debet homo abstinere a carnis desideriiis inchoata⁷ non consummen |108ra| do. Apostolus ad Galatas: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis*, quasi <dicat>: Et si inchoetis, tamen non consummabitis. Humanum est peccare, sed dyabolicum est perseuerare.

24 Propter ista quatuor dicit Apostolus ad Titum: *Apparuit gracia Dei Saluatoris omnibus hominibus, eru<diens> nos ut abnegantes impietatem <et secularia desideria> etc.*

25 Sequitur ultimum: quare a carnis desideriiis est abstinendum. Ratio est quia *pugnant contra animam*. Ista pugna inter carnem et animam optime fuit figurata in Genesi de Abraham et Loth fratre eius, ubi ait Abraham ad Loth fratrem suum: *Ne queso sit iurgium inter me et te; fratres enim sumus. Ecce uniuersa terra coram te est: si ad dexteram uadis, ego ad sinistram ibo: si ad sinistram, ego ad dexteram*. Caro et spiritus fratres sunt. Aliquando spiritus dimittit carnem facere uoluntatem suam, sed bene dicit spiritus carni: “Si ad sinistram partem modo uadis paupertatis, tribulationis, aduersitatis, e |108rb| go ad dexteram ibo, quando Deus dicit bonis: *Venite benedicti Patris mei etc.* Si ad dexteram partem uadis ad diuicias mundi, ad delicias carnis et honores seculi, ego ad sinistram ibo, quando dicit Deus malis: *Ite maledicti in ignem eternum etc.*” Karissimi, nolite seduci! Aliqui credunt ire a dextera parte ad dexteram, a diuiciis in presenti ad diuicias in futuro. Sed hoc non potest esse, quia ut ait Ieronimus: “Difficile est, immo impossibile est, ut homo hic uentrem, ibi mentem impleat, ut de diuiciis ad diuicias gloriosus transeat.” Hec non est uia. Sed a sinistra parte paupertatis, aduersitatis, tribulationis oportet ire ad dexteram partem cum illis qui positi erunt a dextris in die iudicii. Hec est uia per quam Christus prior incessit,

⁶ mortificaueritis] mortificatione

⁷ inchoata] inchoata

quia *sic oportuit pati Christum*, docens nos sic posse intrare, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum celorum.

26 Et uidete quod quando unus <miles> |108va| impugnat alium, quinque mala facit ei: primo uulnerat; secundo spoliat; tercio in seruitutem redigit; quarto incarcerat; quinto interficit. Ista quinque mala faciunt carnis desideria contra animam, quia uulnerant, spoliant, in seruitutem redigunt, incarcerant, interficiunt.

27 Primo uulnerant hominem in consensu et uoluntate. Hoc plus docet experientia quam scientia. Quando homo uidet unam pulcram mulierem et consentit in eam, iam uulneratus est, quia *qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde*.

28 Secundo spoliant uirtutibus. Hoc similiter docet experientia. Homo enim castus et continens Deo est amabilis, angelis similis, sanctis hominibus uenerandus. Quando cadit in lutum luxurie abominabilis est Deo et hominibus et angelis.

29 Tercio se subiciunt seruituti in peccati perpetratione, quia qui facit peccatum seruus est peccati. Et Petrus apostolus: *A quo quis superatus est eius seruus efficitur*. O |108vb| uilis seruitus, ut homo seruiat peccato suo! *Non est seruus maior domino suo*. Et peccatum nichil est in quantum peccatum est nisi deformitas quedam; ergo talis minus est quam nichil: 'chifre en angoirime.' Melius esset tali ut numquam natus fuisset si in hoc moritur.

30 Quarto incarcerant peccandi consuetudine, Apostolus ad Romanos: *Video aliam legem repugnantem legi mentis mee*; et post aliqua: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

31 Interficiunt ultimo eterna dampnatione, in Prou.: *Desideria, scilicet carnis, occiderunt pigrum: noluerunt manus eius operari*. Propter ista omnia dicit Apostolus ad Romanos: *Debitor sumus carni non, ut secundum carnem uiuamus*. Viuere enim secundum carnem est brutaliter uiuere, sed uiuere secundum spiritum est ut homo absteineat a peccato per gratiam Dei ut in futuro acquirat gloriam, quod nobis ...

<SERMO 16>¹

<Feria secunda post Pentecosten>

Sermo fratris G<u>ill<elm>i de Lexi predicatorum ad minores eodem die
in mane etc.

*Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, et accensus est ignis magnus ut omnes mirarentur.*²

<Prothema>³

1 Numquid uerba mea quasi ignis, et sicut malleus conterens petras? Verba ultima sunt in <libro> Ieremie. In quibus tangitur dupliciter efficacia uerbi diuini. Vna est incuciendo timorem ex consideracione <eterni>⁴ supplicii, unde comparatur malleo. Alia efficacia est in accendendo in nobis diuinum amorem ex consideracione premii, unde comparatur igni. Verba predicatoris, si predicator se disposeret et Deus daret, deberent <esse> ignita, immo ignis.

2 Et notandum <quod ignis> calet, splendet, scintillas emittit, et propinqua sibi accendit. Ita predicator debet calere per feruorem caritatis, ut possit dicere illud Psalmiste: *Concaluit cor meum intra me; et in meditatione mea exardescet ignis.*⁵ Secundo, debet predicator aliis splendere per honestam conuersationem ut possit de ipso dici illud Ecclesiastici: *Quasi ignis effulgens*, scilicet per honestam conuersationem, *et quasi thus ardens in igne*, scilicet per⁶ deuo|W 91ra| tam oracionem. Tercio, debet predicator s<c>intillas, id est uerba ignite predicacionis, emittere, Ps.: *Ignitum eloquium tuum uehementer*; Iere.: *Ecce do uerba mea in ore tuo in igne*. Iste s<c>intille sunt quatuor animalium, <de quibus in Ezechiele>.⁷ Quarto, debet predicator alios accendere per exemplum bone operationis, ut exemplo Abrahe ignem et gladium portet in manu. Predicator ignem diuini amoris et⁸ gladium sancte predicationis, debet portare in manu, ut opere impleat quod predicat. Miles non facit bonum ictum de gladio, quem semper portat in ore. Ideo oportet quod predicator opere impleat quod in predicatione docet. <Sed quia ad plenum hoc in me non sentio, recurro ad orationes uestras, ne sermo Dei per insufficiam meam impediatur. Et salutabimus matrem eius gloriosam: Aue Maria>.⁹ Rogemus Dominum etc.

*Sol refulsit etc.*¹⁰

3 Verba ista scripta sunt in secundo <libro> Machabeorum. Sicut experti sunt

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from base manuscript: (P) Paris, Bibl. Nationale, lat. 16481, ff. 282vb-284vb. Other manuscript witnesses: (P2) Paris, Bibl. Nationale, lat. 16482, ff. 60rb-62ra; (O) Oxford, Bodleian Library, Ashmole 757, ff. 278rb-280vb; (W) Worcester, Cathedral Library F 5, ff. 91ra-92vb. J. B. Schneyer, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 24; Th. Kaeppli, *Scriptores*, v. 2, p. 113, n. 1560. The bulk of the transcription is based on Paris, Bibl. Nationale, lat. 16481, which lacks the Prothema, which is supplied by Oxford, Bodleian Library, Ashmole 757. Any accepted variant readings to either of these two text versions are supplied by text versions P2 and W, and are referred to in thenotes and in the text where indicated.

² P adds an internal note to the reader: Numquid uerba mea quasi ignis etc., quere hoc thema inferius cum aliis.

³ Since the prothema is lacking in P, the entire prothema, namely sections 1 and 2, is transcribed from W, f. 91ra -91rb.

⁴ eterni] added O

⁵ ignis] spiritus W

⁶ scilicet per] super W

⁷ de quibus in Ezechiele] added by P2

⁸ et] ut W

⁹ Sed – Maria] added by P2, transcription from W ends here

¹⁰ Transcription from P begins here

aliqui, consuetudo est in aliquibus partibus, licet non approbanda, quod quando magni barones uel rex uult mouere guerram contra aliquem, habet incendiarios suos. Sic Dominus noster Ihesus Christus in mundum¹¹ ueniens ad expugnandum inimicum humani generis, <et> ipso expugnato <inimico>¹² in cruce, ascendens <in celum>,¹³ uolens ipsum expugnare <in> membris suis, premisit ignem. Et merito: Spiritus sancti aduentus per ignem signatur contra primam deceptionem serpentis. Serpens ueneno suo frigidissimo totum genus humanum infrigidauerat. Sic econtrario Spiritus sanctus in specie ignis uenit in terram, ut amorem diuinum in cordibus nostris accenderet. Dicitur in libro Sapientie: *Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Imitantur eum qui ex parte eius sunt. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; et hoc q<uod> con<tinet> o<mnia>, s<cientiam> h<abet> u<ocis>.* Et in Sophonia: *In igne zeli mei deuorabitur omnis terra.* Et hoc est quod tangitur in uerbis istis:

4 *Sol refulsit* etc. In quibus duo tanguntur: unum presupponit, scilicet Christi glorificationem; secundo, superaddit Spiritus sancti missionem. Dicitur in Iohanne: *Nundum Spiritus sanctus datus est, quia nundum Christus glorificatus est. Ascendens Christus in al<tum> ca<ptiuam> d<uxit> c<aptiuitatem>; d<edit> d<ona> h<ominibus>.*

5 Merito igitur presupponit Christi glorificationem, |P 283ra| dicens sol, id est Christus, qui est fons sapientie et splendoris, et fornax ardoris, *qui prius erat*¹⁴ *in nubilo*, scilicet in passione, refulsit, scilicet in Apostolis in resurrectione, et angelis in ascensione. Et ideo sequitur Spiritus sancti missio, cum dicit: *Et accensus est ignis*, scilicet in Spiritus sancti missione, *ita ut omnes mirarentur*. De primo nichil ad presens; de hoc habuimus in festis preteritis.

6 De secundo dicemus modo, scilicet de Spiritus sancti missione, que notatur cum dicitur: *Et accensus est ignis* etc. Spiritus sanctus siue amor diuinus, in cordibus nostris diffusus, dicitur ignis, unde: *Caritas Dei dif<fusa> e<st> i<n> c<ordibus> n<ostris> per S<piritum> s<anctum>, qui d<atus> est n<obis>.* Ideo uideamus quare Spiritus sanctus siue amor diuinus significatur per ignem, et qualiter debemus ipsum accendere in cordibus nostris.

7 Quadruplici ratione Spiritus sanctus siue amor diuinus significatur per ignem, et quadruplici signo cognoscitur. Quadruplici ratione per ignem significatur, et hoc secundum quadruplicem rationem ignis:¹⁵ ignis claritatem habet in aspectu, caliditatem in actu, agilitatem in motu, et uirtutem consumptiuam et purgatiuam in effectum. Sic dico quod Spiritus sanctus quando uenit ad nos, illuminat intellectum, inflamat affectum, eleuat sursum desiderium ad superna, et consumit peccata, et ita purificat corda.

8 Primo dico quod sicut ignis materialis habet claritatem in aspectu, ita Spiritus sanctus quandam magnam claritatem generat in intellectu. Vnde Ysa.: *Erit lumen Israel in igne et Sanctus eius in flamma; et succendetur et deuorabitur spina et uepres. Et gloria saltus eius et carmeli <consumetur>. Erit <lumen> Israel in igne*, id est illuminans

¹¹ mundum] mundo P

¹² inimico] added by W

¹³ in celum] added by W

¹⁴ erat] fuit P

¹⁵ ignis] residium querere ibi: spiritus sancti quadruplici ratione dicitur ignis added after, and deleted (va-cat) P

intellectum, et *Sanctus eius in flamma*. Sanctus dico, id est mundificans affectum, quia sanctitas mundat cor [et mundificat] et illuminat <intellectum> ad uidendum Deum, quia uidetur Deus mundicia spirituali, sicut uidentur |283rb| corporalia claritate corporali, unde in Mt.: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum uidebunt*. In aere claro bene illuminato, ut in radio solis, melius uidentur athomi, quam in aere turbulento magni lapides. Ita in corde mundo melius uidentur parua peccata, quam in corde obscurato uideantur magna peccata, sicut in map<p>a bene alba melius apparet una modica macula uel una gutta sanguinis, quam in turpi map<p>a multum sanguinis. *Erit igitur lumen Israel*, scilicet hominis uidentis Deum per fidem, *in igne*, id est illuminans intellectum, et *Sanctus eius in flamma*, id est mundificans affectum: *et succendetur, et deuorabitur spina*, quantum ad peccata pertinentia ad auariciam, que pungunt animam sicut spina pungit corpus, *et uepres*, quantum ad peccata pertinentia ad maliciam, ut sunt inuidia, iracundia et huiusmodi. *Et gloria saltus eius*, quantum ad peccata superbie, *et carmeli eius*, quantum ad peccata gule. Sic igitur Spiritus sanctus significatur per ignem, qui illuminat intellectum. Vnde Ieremias in lamentationibus suis: *De excelso misit ignem in ossibus meis et erudiuit me* – *de excelso*, quia *a summo celo egressio eius, misit ignem*, id est Spiritum sanctum, *in ossibus meis*, id est in Apostolis, qui dicuntur ossa, quia sicut ossa sustinent carnem, ita Apostoli sustinent Ecclesiam, Ps.: *Ego confirmaui columpnas eius*. Sed modo potest dici: “Ego infirmaui columpnas eius.” ‘Infirmaui,’ id est infirmari permisi columpnas eius, unde ruit hodie fabrica Ecclesie. Quis est qui modo dicat: *Nolite me constituere principem super uos?* Vel aliter potest dici *misit ignem in ossibus meis*, id est ignem Spiritus sancti inossatum et bene radicum. Quando gutta est inter cutem et carnem, tunc potest adhiberi remedium de facili, sed quando est inossata, tunc non de facili adhibetur. Ita dico ego quod in Apostolis fuit Spiritus sanctus ita inossatus, quod de cetero non potuit ab eis |283va| separari. Vnde Apostolus: *Quis nos separabit a caritate Christi*¹⁶ etc.? quasi dicat: Non possumus separari. Ieremias in persona doctorum dicit: *Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis estuans [factusque est] et clausus <est> in ossibus meis*, id est inossatus est. Magis deberet ignis Spiritus sancti inossari hodie in cordibus doctorum et prelatorum quam inossetur. <Dixit michi quidam seculares laycus quod>¹⁷ oportet quod sit multum in securo loco, qui alium uult liberare de periculo, ut si aliquis uellet liberare omnes qui sunt in mari, oporteret quod esset in loco securo. Sed prelatorum est alios liberare, ideo oportet quod bene sint radicati in isto igne.

9 Secundo ignis habet caliditatem in actu. Sic Spiritus sanctus inflamat affectum, unde in euangelio: *Ignem ueni mittere <in terram, et quid uolo nisi ut accendantur>?* Ignis iste Spiritus sancti uenit de celo, ut nos inflammaret ad amorem Dei, et uenit in terram, ut nos inflammaret ad amorem proximi. Vnde dicitur: *Diligas Dominum Deum tuum ex to<to> cor<de> t<uo>*, et *proximum tuum sicut teipsum*. Dicitur in Deuter.: *Audire te uocem suam fecit, ut doceret te, et ostendit tibi ignem suum maximam*. Naturale est quod ignis flammam proiciat, et maximus ignis maximam flammam. Maximus ignis fuit¹⁸ in corde Dei Patris ad genus humanum, et ideo proiecit maximam flammam mittendo Filium suum ad nos. Vnde inquit Patri: *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi*. Item proiecit maximam flammam

¹⁶ Christi] dei P, I wrote according to the Vulgate

¹⁷ Dixit – quod] added from O, f. 280ra, line 17

¹⁸ fuit] sunt P

mittendo Spiritum sanctum in specie ignis. Et notandum quod in triplici signo missus est Spiritus sanctus contra triplicem proprietatem serpentis. Serpens habet sybillum, uenenum frigidissimum, et linguam dispertitam. Contra sibilum apparuit Spiritus sanctus Apostolis in sono magno, unde in Actibus: *Factus est repente d<e> c<elo> s<onus>, t<amquam> a<duenientis> s<piritus> u<ehementis>.* Item contra uenenum, quod est frigidum, apparuit ei<s> Spiritus <sanctus> in specie ignis. Contra hoc, quia serpens habet linguam dispertitam, |283vb| ideo in missione Spiritus sancti apparuerunt eis dispertite lingue tanquam ignis.

10 Tertio Spiritus sanctus dicitur ignis, quia sicut ignis habet agilitatem in motu, ita Spiritus sanctus eleuat sursum desiderium. Ignis naturaliter tendit sursum, et perfectior est in sua sp<h>era quam alibi. Ita amor diuinus perfectior est in patria quam sit hic. Vnde: *Cuius ignis <est> in Syon*, id est in Ecclesia militante, *et caminus*, id est maximus ignis, *in Ierusalem*, id est in Ecclesia triumphante. Ignis trahit sursum quidquid est in lingo, nisi modicum cineris, scilicet ad custodiendum ignem. Ita amor diuinus quidquid cordis humani est accensum facit ascendere sursum, scilicet cogitationes et affectiones, ita quod nichil dimittit nisi parum cineris, id est curam cotidiane necessitatis, Apostolus: *Habentes ali<menta> et q<ui>bus te<gamur>, hiis conten<ti> simus.* Dicitur in libro Iudicum: *Angelus Domini extendit summitatem uirge quam tenebat in manu; tetigit carnes et ascendit ignis de petra et consumpsit carnes.* Virga, id est disciplina, Ps.: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Summitas uirge, id est acerbitas passionis dominice. Christus summitatem uirge tenuit, quia nullus umquam ita disciplinatus fuit sicut Christus, Ieremias: *O uos omnes qui transitis per uiam, <attendite>, et uidete si est dolor sicut dolor meus>!* Angelus, <id est> predicator uel prelatus, debet extendere summitatem uirge, id est passionem dominicam declarare et in ammonitionem adducere, et debet in manu sua tenere uirgam, id est carnem suam mortificare, quia *qui Christi sunt, c<arnem> s<uam> c<rucifigunt> c<um> u<itiis> et con<cupiscentiis>.* Et debent carnem tangere, id est carnales et carnaliter uiuentes reprehendere et non palpare, et tunc ascendet ignis de petra, id est ignis amoris diuini de corde durissimo ad modum petre. Sicut enim ex confricatione duorum corporum elicitur ignis, scilicet duorum durorum, ita si duriciam cordis tui collideres cum duricia passionis Christi, eliceretur ignis amoris diuini. Sequitur, *et consumpsit car|284ra|nes*, id est carnalitatem. Sic enim omnis carnalitas fugit ab homine.

11 Quarto principaliter ignis habet uirtutem consumptiuam et purgatiuam <in effectu>, et separat purum ab impuro. Similiter Spiritus sanctus, unde de ipso dicitur: *Baptizabit eos in Spiritu et igne. Et in Deuter.: Caue, ne obliuiscaris pacti*¹⁹ *Domini Dei tui; ne facias sculptam similitudinem <eorum>, que <fieri> prohibuit tibi Dominus Deus tuus, iumentorum, animalium et serpentum; sequitur: <quia> Dominus Deus tuus ignis consumens est.*

12 Dimittamus expositionem istorum <et> transeamus ad secundum. Sic patet quomodo Spiritus sanctus quadruplici ratione in specie ignis descendit.

13 Sequitur de secundo principali, scilicet quomodo accenditur ignis Spiritus sancti in cordibus nostris, et ad presens dicamus quod quadrupliciter et sumamus exemplum in naturalibus. Qui ignem uult accendere quatuor solet facere, scilicet se

¹⁹ pacti] omitted and restored in the margin P

inclinare, flare, fomitem administrare, sicut stramen uel huiusmodi, quarto ligna superponere. Istis quatuor modis accenditur ignis spiritualis in cordibus nostris: primo per inclinationem dominice incarnationis;²⁰ secundo per flatum diuine inspirationis; tercio per memoriam dominice passionis; et quarto operibus bonis.

14 Primo dico: accenditur ignis, id est Spiritus sanctus uel amor diuinus, in cordibus nostris per descensum dominice incarnationis. Numquam aliquis tam profundam inclinationem fecit sicut Dominus quando inclinauit se de celo in terram, ut accenderet ignem Spiritus sancti in nobis et in cordibus nostris. Ps.: *Ignis*²¹ *a facie eius exarsit*, id est fidelium mentes et affectiones et cogitationes. Vnde dicit: *Ignem ueni mittere in ter<ras>*, et *quid uolo nisi ut accendantur! Carbones succensi sunt ab eo*, [id est ab eo] id est ab eius presentia, *inclinauit celos*, scilicet sue diuinitatis, et *descendit*, ad terram nostre humanitatis. Istam descensionem amoris diuini petebat Ysaïas, dicens: *Vtinam a facie tua montes diffuerent, id est superbi, et aque, id est tepidi, arderent igne!* Fere est hodie extinctus iste ignis, unde in secundo Machabeorum dicitur quod loco ignis inuenerunt aquam crassam, id est loco de|284rb|uotionis et feruoris, scilicet respectu ignis feruentis caritatis²² tempore apostolorum, inuenerunt aquam crassam.

15 Secundo accenditur ignis diuini amoris siue Spiritus sancti per flatum diuine inspirationis. Vnde Malachias: *Ipse est enim quasi ignis conflans; et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Leui. Sedebit conflans animum <qui> est conflatus* quia Spiritus sanctus spiratus est a Patre et Filio, et est simul conflans, id est spirans gratiam in cordibus nostris. Sed conqueritur Ieremias, dicens: *Defecit conflatorium; in igne frustra conflauit conflator, malicie eorum non sunt consumpte. Argentum reprobum uocate eos, quia Dominus proiecit eos.* Frustra conflauit conflator, quia inspirat tibi Dominus bonum propositum, scilicet relinquendi peccatum uel aliud bonum faciendi, et tu non curas. †Videtur quod frustra conflauit, et ne tedio affectus dimittat tibi inspirare bonum propositum amplius, sicut tedio affectus non potest sufflare ignem proicit carbones et totum.^{†23} Quando fiunt sermones laicis ueniunt ad confessionem ita quod quatuor confessores non sufficient audire eorum confessiones! Clerici non mouentur nec curant. Hoc est signum diuine reprobationis, unde dicit: *Argentum reprobatum uocate eos*, quia talis moneta non recipietur in die iudicii.

16 Tercio debet homo fomitem administrare, qui uult ignem accendere. Sed nichil est quod tantum possit accendere ignem diuini amoris in nobis sicut memoria dominice passionis. In Iohanne: *Maiolem hac dilectionem nemo habet quam ut animam s<uam> p<onat>* etc. Fuit Dominus zelator salutis nostre. Magnus zelator est sponse sue qui uult mori pro sponsa sua. Sic Christus mori uoluit pro Ecclesia, Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum <pro ea>*. Scribitur: *<Vsquequo, Domine>*, *accendetur uelut ignis zelus tuus?* Et alibi: *Zelus domus tue comedit me.* Glossa: “Zelus conscientie tue emundande fuit causa mortis mee.” In Ioele: *Effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in celo et in terra, [284va] sanguinem, ignem, et uaporem fumi. Sanguinem*, id est effusionem sanguinis, ignem, scilicet feruentissime caritatis, et uaporem fumi, id est dolorem contritionis. Fumus iste optimus exterret omne genus demoniorum, unde in Thobia: *Cordis eius*, scilicet piscis assi, *si particulam super carbones*

²⁰ incarnationis] unquam aliquis tam profundam incarnationem added after and deleted (va-cat) homoioteleuton, see below P

²¹ Ignis] omitted and restored in the margin P

²² caratatis] caritate P

²³ Something is missing here; I cannot make out the sense of this sentence

ponas, fumus eius exterret omne genus demoniorum. Piscis assus est Christus in aquis humanitatis captus, in aquis gratie nutritus, et in craticula crucis assus. *Cordis particulam si super carbones ponas*, id est passionem dominicam ad memoriam reducas, *fumus eius*, id est dolor contritionis, *exterret*²⁴ *omne genus demoniorum.*

17 Quarto ignis accenditur et conseruatur superpositione lignorum. Similiter ignis diuinus per bona opera et mutua obsequia. Scribitur: *Cum defecerint ligna*, id est opera bona, *extinguetur ignis*, scilicet diuini amoris. Propter quod in Leuitico dicitur: *Ignis*, scilicet feruentis caritatis, *in altari meo*, id est in corde tuo, *semper ardebit*, id est a iuuentute usque ad senectutem, et a principio usque ad finalem perseuerantiam, *quem nutriet sacerdos*, id est prelatus uel predicator, *subiciens ligna*, id est bona opera, *mane per singulos dies*, id est omni tempore. Rogabimus Dominum etc.

²⁴ exterret] extricat P

<SERMO 17>¹

<Sermo in festo sacratissime Trinitatis> Sermo magistri Guillelmi Iacobite de Trinitate

Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum celorum,
Ioh. III_b.

1 Ibidem: *Magister, scimus quod² a Deo uenisti.* Nicodemus, magister in Israel, Christum uocat magistrum, qui solus est magister magistrorum, qui de seipso dixit discipulis suis, Matth. XXIII_b: *Ne<c> uocemini plures magistri; unus est enim Magister uester, qui est in celo.* Omnes alii magi | 123va | stri, quicquid sciunt, ab isto sciunt. Ad istum recurramus, ut ponat sermonem suum in ore meo ad honorem suum et utilitatem animarum, etc.

Nisi quis renatus fuerit.

2 Determinatio est nostri magistri Ihesu Christi, et innuit in istis uerbis misterium sancte Trinitatis et modum nostre reparationis. Dicit Apostolus ad Ephesios III_b: *Qui descendit, scilicet per carnis assumptionem ad passionem, ipse est qui ascendit super omnes celos, per humane nature sublimationem siue carnis nostre representationem, ut adimpleret omnia per Spiritus sancti missionem.* Et ideo festa preterita hic tanguntur, scilicet Natiuitatis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes. Quia uero indiuisa sunt opera Trinitatis, ideo in ista dominica conuertit se Ecclesia ad laudem totius Trinitatis. Festum Natalis potest dici festum Patris ex caritate Filium mittentis, de quo Io. III_c: *Sic Deus di | 124ra | lexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et si plura dicantur de Filio,³ sicut *puer natus est uobis*, tamen non uocatur festum Filii, quia in paupertate natus est, et in paupertate nullus facit festum. Festum Resurrectionis est festum Filii, quia tunc assumpsit uestem regiam, scilicet carnem glorificatam. Similiter et festum Ascensionis, quia in illa carne glorificata ascendit in celum, accipiens potestatem a Deo Patre in celo et in terra, sicut ipse ait discipulis suis: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Festum Pentecostes est festum Spiritus sancti, quia in igneis linguis super apostolos descendit, scientiam quia omnium linguarum dedit eorumque corda ad sui amorem accendit. Modo in hac dominica conuertit se Ecclesia ad laudem Trinitatis. Ista festa tangit Apostolus in epistola hodierna, II Cor. XIII_g: *Gratia Domini nostri Ihesu Christi, id est Christus, pro nobis gratis natus, gratis mortuus, gratis nos | 124rb | redimens, gratis nostra <peccata> accipiens, gratis <dona> sua nobis communicans, et caritas Dei, id est Deus Pater, ex caritate nobis Filium mittens, et communicatio sancti Spiritus, id est donum sancti Spiritus, per quod omnia dona nobis dantur.* Ecce pluralitas personarum, Patris et Filii et Spiritus sancti. Sit semper cum omnibus nobis. Ecce unitas essentie.

3 Secundum hoc duo tanguntur in uerbis istis: primo determinatur nostre

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 123va-125vb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 582, n. 1 (under the name of Guillaume de Quinsac); TH. KAEPELLE, *Scriptores*, v. 2, p. 113, n. 1556.

² quod | quia

³ Filio | flao (?)

regenerationis modus, cum dicit: *Nisi quis renatus fuerit* etc.; secundo subditur istius regenerationis fructus: *non intrabit*, ut sumamus affirmatiue: Qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto intrabit in regnum celorum.

4 Circa primum notandum quod nascitur homo quadruplici natiuitate. Nascitur homo in mundo natiuitate nature; nascitur in inferno natiuitate mortalis culpe; nascitur in Ecclesia natiuitate gratie in baptismo; nascitur in celo natiuitate | 124va | glorie.

5 Primo dico: nascitur homo in mundo natiuitate nature, et ista est laboriosa. De hac in Iohanne XVI_c: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia uenit hora eius; cum autem peperit <puerum>, iam non meminit pressure propter gaudium, quia natus est homo in mundum*. Non meminit pressure propter fructum natiuitatis, tamen ista natiuitas est misera et laboriosa propter concomitantiam culpe originalis, quia istam natiuitatem concomitatur culpa, miseria, labor et angustia.

6 Primo istam natiuitatem concomitatur originalis culpa, unde Iob III_a: *Pereat dies in qua natus est homo, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo!* Ps.: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum* etc. De ista natiuitate expressius loquitur Ieremias XX_g: *Maledicta, ait, dies in qua natus sum!* Glossa, “Maledictionis, pene, originalis culpe” *dies in qua peperit me mater mea <non sit benedicta>!* *Maledictus dies in qua nunciatum* | 124vb | *est patri meo: Natus est tibi masculus*. Ecce quomodo ista natiuitas est misera propter concomitantiam originalis culpe.

7 Item ista natiuitas est misera propter concomitantiam multiplicis miserie, Iob XIII_a: *Homo natus de muliere, bre<ui> u<uens> tem<pore>*. Bernardus alludit huic uerbo: “*Homo na<tus> de mu<liere>, ob hoc cum reatu; breui ui<uens> tempore, ob hoc uiuit cum metu; re<pletur> multis mi<seriis>, ob hoc uiuit in fletu*.” Vnde super illud Apostoli ad Ephesios V_d, *redimentes dies, quoniam mali sunt*, dicit Glossa quod “ex quo primus homo peccauit, dies non fuerunt nisi mali, quia puer <qui nascitur>, a ploratu incipit, nec ridere potest; <statim natus plorat> propheta calamitatis sue; nondum loquitur, et iam prophetat se in labore uenturum,” quia: *homo nascitur ad laborem et auis ad uolandum*, Iob V_o.

8 Secundo nascitur homo in inferno natiuitate mortalis culpe. In Ecclesiastico XLIII_o a dicitur de bonis: *Laudemus uiros gloriosos, <et> parentes nostros potentes in generatione* | 125ra | *sua*. Statim subdit de malis: *Sunt quorum non⁴ est memoria: perierunt quasi non fuerint; et sunt nati quasi non nati, et filii eorum cum ipsis*, hoc est imitatores eorum. Ista natiuitas est infructuosa, ignominiosa, maledicta.

9 Primo dico quod est infructuosa, in libro Sapientie V_c: *Nos nati continuo desiuius esse; et uirtutis nullum signum ualuimus ostendere*. Sequitur malum uerbum, ‘le mau mot’: *In malignitate nostra consumpti sumus*.

10 Secundo ista natiuitas est ignominiosa, in Prou. XVII_g: *Natus est stultus in ignominiam suam; et pater in filio suo non letabitur*. Ignominiosum est de filio Dei seruum fieri dyaboli, immo de herede Dei heredem dyaboli, de hereditate premium⁵ celi hereditatem habere penas inferni, de socio angelorum socium fieri demonum. Omnia ista infortunia habent damnati in inferno.

11 Item ista natiuitas est maledicta, in Ecclesiastico XLI^o: *Ve uobis, impii, qui*

4 non] written above the line

5 premium] dei written after and deleted

dereliqui | 125rb | *stis legem Altissimi! Si nati fueritis*, Glossa, in *maledictione*, culpe scilicet, *nascemini; et si mortui fueritis, pars uestra in maledictione erit*, quando dicit Dominus: *Ite maledicti* etc., Matth. XXV^g, cum demonibus in inferno.

12 Tercia natiuitas est gratie, qua quis nascitur in Ecclesia per baptismum, et ista est amanda. De ista in proposito: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc. Istam Nichodemus ignorabat quando dicebat: *Domine, quomodo potest homo nascitur denuo?* cui Dominus <dixit>: *Tu es magister in Israel, et hec ignoras?* Certe istam natiuitatem homines carnales ignorant, sed spirituales bene sciunt eam, de quibus Psalmista: *Annunciabunt celi*, hoc est celestes uiri, *iusticiam eius*. Item: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, hoc est pro patriarchis et prophetis nati fuerunt in Ecclesia apostoli, pro apostolis martyres, pro martyribus confessores, pro confessoribus uiri spirituales. Tales antiquitus fuerunt in primi | 125va | tiua Ecclesia, sed <quo> modo *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus!* Propter istam natiuitatem dicit Dominus: *Quod natum est de carne, caro est: quod de spiritu, spiritus est*, hoc est qui carnaliter nati sunt, carnaliter uiuunt et cum carne pereunt; qui spiritualiter <nati sunt, spiritualiter uiuunt et> cum spiritu in eternum durabunt, quia tales ex Deo Patre nati sunt.

13 Et nota quod natus ex nobili Patre Patrem recognoscit per fidem, in canonica Iohannis I^a V^a: *Omnis qui credit quod Ihesus est Filius Dei, ex Deo natus est*.

14 Item natus ex nobili Patre Patrem amat per caritatem, in I Io. IIII^c: *Qui natus est ex Deo, diligit fratrem suum*, quia recognoscit similitudinem Patris in fratrem.

15 Item natus ex nobili Patre Patrem imitatur per iustitiam, sicut dicitur I^a Io. IIII^c: *Qui facit iusticiam, ex Deo natus est*. In istis tribus debemus assimilari Deo Patri nostro et eum imitari: in fide, ut in eum solum credamus; in carita | 125vb | te et mandata eius seruemus, unde Io. XIII^c: *Si diligitis me, mandata mea seruare* etc.; in iusticia, ut peccatum odio habeamus, quia ut ait Iohannes in canonica sua, I III^c: *Omne quod natum est ex Deo, fugit peccatum: quoniam semen Dei*, hoc est gratia Dei, manet in illo.

16 Quarto nascitur quis in celo natiuitate glorie, et hec est natiuitas gloriosa. De ista in euangelio Iohannis: *Nisi quis renatus fuerit [etc] denuo, non potest intrare in regnum Dei*. Sic sunt induti apostoli <uirtute> ex alto, quibus dixit Dominus <in> Actu I^b: *Iohannes baptizauit uos aqua; uos autem baptizabimini Spiritu sancto*.

17 Ergo prima natiuitas nature est laboriosa, secunda natiuitas culpe est maledicta, natiuitas <gratie> tertia per baptismum est gratiosa, <quarta> natiuitas patrie celestis est gloriosa, Ps.: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei!* Ad istam nos perducatur et cetera.

<SERMO 18>¹

<Dominica tertia post Trinitatem>

Sermo fratris Guillelmi de Luxi dominica tertia

Deus omnis gratie, qui uocauit nos in eternam gloriam suam.

1 Qui indiget aqua clara, pura, et sapida, non potest melius inuenire quam in fonte. Aqua sapida, pura, et clara, est Dei gratia; extinguit enim sitim totius praui et inordinati amoris, sicut ait Dominus mulieri Samaritane: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet ultra; sed fiet in eo fons aque salientis in uitam eternam.* Ista aqua omnes indigemus, ideo in fonte queramus. Fons gratie Christus est, unde fons sapientie uerbum Dei. |132va| Item in proposito: *Deus omnis gratie.* Sed fons est altus et signatus, ideo curramus ad ductum aque, ad clauigeram gratie, uirginem Mariam, ut impetret michi a filio suo aquam istam, scilicet gratiam, ad uerbum suum digne pronunciandum, uobis ad retinendum, et cetera.

Deus omnis gratie.

2 Verba ista scripta sunt in epistola Petri hodierna. In quibus uerbis monet nos apostolus Petrus, ut diuine uocationi acquiescamus. Quando homo magne auctoritatis uocat aliquem pauperem preter merita sua ad aliquam dignitatem magnam, et certum est quod potest habere illam pro modico labore, mirabiliter est fatuus si non acquiescit eius uoci. Sic facit nobis Dominus. Et possunt poni septem rationes quare uocationi sue debemus acquiescere.

3 Prima est Dei uocantis incomparabilis dignitas. De ista in Psalmo: *Deus deorum, Dominus, locutus est, et uocauit terram.* ‘Deus’ ait, non ‘puer’ uel ‘garcon.’ |132vb| Deus deorum, contra gentiles qui adorant simulacra, uocauit te qui es terra et in terram ibis. Magna fatuitas si ei non acquiescis. Et certe si bene consideraremus dignitatem ad quam uocamur, cicius ueniremus ad eum. Vocat nos Deus, ut de statu culpe ueniamus ad penitentiam, de penitentia ad gloriam. Ita dicitur in Exodo: *Deus Hebreorum uocauit nos, ut eamus uiam trium dierum in solitudinem et seruiamus ei.* Via trium dierum est status penitentium, scilicet cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio. Seruiebant filii Israel Pharaoni in luto, latere, et paleis. O quam multi hodie seruiunt dyabolo in luto luxurie, latere auaricie, palea superbie! Econtra seruiamus Deo in castitate contra luxuriam, in elemosynarum largitione uel pietate contra auariciam, in humilitate cordis contra superbiam. Hec sunt tria uota religionis: castitas, paupertas, humilitas seu obedientia.

4 Secundo, |133ra| ut diuine uocationi acquiescamus monet <nos> Dei uocantis gratuita bonitas, quia si propter merita nostra nos uocaret, minus grata esset ista uocatio. Sed non uocat nos propter merita nostra. Merita nostra et bona nostra nulla sunt; ipse enim bonorum nostrorum non eget. De ista uocatione dicit Apostolus, prima ad Corinthios: *Videte uocationem uestram, fratres, quoniam non multum*

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 132rb-134vb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 21; TH. KAEPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 113, n. 1557.

sapientes, non multum nobiles secundum carnem, non multum potentes: <sed que stulta sunt mundi> elegit Deus etc. Solet aliquis homo uocare unum hominem sapientem quia indiget consilio, uocare potentem quia indiget auxilio, <et> nobilem genere quia indiget² seruicio. Sed Deus non indiget nostro consilio nec auxilio, quia *mil</i>ia mil</i>um angelorum ei seruiunt*. Ergo, quia ex mera gratia sua nos uocat, non propter merita nostra, bene debemus eius uocationi acquiescere.

5 Tercia ratio est immensa eius liberalitas. Quando aliquis uocat alium qui multum peccauit in eum et multa mala |133rb| fecit ei, magna liberalitas est. Ita Deus, qui peccatum non fecit, primo nos qui cotidie peccamus in eum uocat, uere magna liberalitas est. Vnde in proposito: *Deus omnis gratie, qui uocauit nos*. Nos, inquam, proditores et diuine maiestati reos. Alibi: *Fidelis Deus: qui uocauit uos in hereditatem filii sui Domini nostri Ihesu Christi*. Fidelitas debet esse inter dominum et seruum, ut dominus curialiter tractet seruum suum, et seruus obediat domino suo. Sed quando dominus curialiter tractat seruum, et seruus proditor est erga dominum, plus quam liberalitas est. Ita facit Creator noster et Redemptor. Quod ubi cotidie peccamus in ipsum in tantum quod dyabolus cotidie nos iugularet nisi ipse esset, et tamen uocat nos ad suum seruicium et ad regnum suum, uere plus quam liberalitas est. Hoc est beneficium quod numquam debemus dare obliuioni. Vnde Petrus: *Vt uirtutes eius annuntietis, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen* |133va| *suum*, quasi dicat: Gratias agite Deo, qui de tenebris ignorantie uos uocauit in lumen fidei. O quot *mil</i>ia paganorum et Iudeorum* sunt modo in inferno qui ignorauerunt lumen fidei! Et nos uidemus istud lumen nec aliis uolumus annuntiare. Magnum nobis periculum est si ambulamus in tenebris culpe.

6 Quarto debet nos monere status sublimitatis, quia non ad modicum uocat nos Deus, sed ad maximum, ad gloriam suam. Vnde Apostolus ad Thessalonicenses: *Ambuletis digne Deo, qui uocauit uos in regnum suum <et gloriam>*. “Ambuletis” ait, non “dormiatis”. Inconueniens est ut rex celestis uocet nos et dormiamus. O quam multi iacent in peccato, soporati somno prae consuetudinis! Audacter peccant in iuuentute et expectant facere penitentiam in senectute uel in morte. Si quis clericus uocaretur ad episcopatum uel decanatum, statim uenderet suum patrimonium |133vb| et curreret ad dignitatem illam. Si rex Francie uocaret aliquem in societatem ad regnum suum, et alius uocaret eum ad patibulum, nonne fustigandus esset si prius curreret ad patibulum quam ad regnum? Mundus, caro, dyabolus uocant nos ad perditionem et mortem; Christus uocat nos ad salutem et uitam, et tamen plures currunt ad uoluptates carnis implendas, ad diuicias, honores et dignitates. Bernardus: “Clamat caro: ‘Ego inficiam.’ Clamat mundus: ‘Ego deficiam.’ Clamat dyabolus: ‘Ego interficiam.’ Clamat Deus: ‘Ego reficiam.’” Quem sequar nisi te, O bone Ihesu, qui laborantibus pro te clamas: *Venite ad me, et ego reficiam uos*? Ergo uocatio uestra ad magnum est, quia ad regnum eternum. Vnde Petrus apostolus: *In hoc uocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis*. Mundus non uocat ad benedictionem, sed ad maledictionem. Et |134ra| si <uocare posset uos> ad benedictionem, non tamen <benedictionem> hereditate <possideretis>, quia quicquid est in mundo totum est instabile et transitorium. Vnde Saluator discipulis suis in Iohanne: *Non quomodo*

² indiget| dignus

mundus dat, ego do uobis. Datum mundi comparatur ludo pile. Qui currunt ad pilam per uicos, uix potest habere unus pilam in manu, quin statim iaciat alii. Ita multi clerici sudant et laborant in artibus et decretis, currunt Romam pro aliqua prebenda habenda, et statim ut habent moriuntur. Vnde dicitur uulgariter: ‘Quant honeur uient et cors faut.’

7 Quintum est nuncii uocantis sollempnitas, quia unigenitus Dei Filius uocat nos. Vnde si non uenimus ad eum, improperebit nobis illud Ioelis: *Seruum meum uocaui, et non respondit michi* – ecce maxima ingratitudo. *Vocaui*, dicit Deus Pater, non per garconum uel puerum, sed per sollempnem nuncium, per Filium meum. Hoc fuit per beneficium Incarnationis, quando diuina natura coniuncta fuit cum humana, secundum illud: *Osculetur me osculo oris sui*. Os |134rb| enim Patris Christus est. Posset aliquis dicere dura uerba dicebat non; nam subditur: *Ore proprio deprecabar eum*. Dominus uocat nobis et audire contempnimus, qui tamen rogare eum deberemus. Vnde si modo eum quando possumus non audimus, in futuro non audiet nos, sed dicet nobis sicut fatuis uirginibus: *Amen dico uobis, nescio uos*.

8 Sextum est uocationis istius facilitas, quia non est nimis difficile obtinere bonum ad quod uocamur, immo modicum oportet pati. Hoc est quod dicitur in proposito: *Deus omnis gratie, qui uocauit nos*; sequitur: *in Christo Ihesu, modicum passos*. Si millesies sineret se homo excoriari, uel igne cremari, uel suspendi, nichil esset ad uitam eternam promerendam, quia *non sunt condigne passionis huius temporis <ad futuram gloriam>* etc. Laborat agricola toto tempore uite sue pro misera uita sua sustinenda; laborant milites in torneamentis pro modica gloria humana; similiter mercatores de foro ad |134va| forum exponunt se ad diuersa pericula <pro lucro>. Et miser homo non laborabit parum ad faciendum penitentiam pro uita eterna habenda.

9 Quantum [est] facile sit istud premium magnum habere patet in hoc, quod quantumcumque homo peccauerit, dum tamen corde contricto confiteatur, et peniteat, et uiuat in uera fide, et se seruet pro posse suo ab omni crimine mortali, saluus erit. Quod figuratum est <in> II Reg. de Absalon, ubi legitur quod *intrauit ad regem, et adorauit eum super terram coram eo, et ob]sculatus est rex Absalon*. Intrat homo ad regem Christum per confessionem. Confessio est clauis regni celorum et porta per quam intratur, Ps.: *Introite portas eius in confessione. Adorauit eum* – ecce deuotio fidei, super terram – ecce humilitas, *coram eo* – ecce recta intentio, *et osculatus est eum* – ecce reconciliatio.

10 Vltimum est omnimoda securitas, que notatur cum dicit: *Ipsa perficiet, confirmabit, et solidabit*. Triplex est |134vb| potentia anime: rationalis, irascibilis, concupiscibilis. Perficiet Deus primam potentiam anime rationalem in cognitione ueritatis, confirmabit secundam irascibilem in apprehensione diuine maiestatis, solidabit terciam concupiscibilem in fruitione diuine bonitatis. Et tunc anima sic perfecta, confirmata, solidata, poterit dicere illud Psalmiste: *Hec recordatus sum, et effudi in me <animam meam>* etc. Quod nobis etc.

<SERMO 19>¹

<Dominica septima post Trinitatem>

Sermo defuncti Guillelmi de Luxi dominica septima

Nunc uero liberati a peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, fine muero uitam eternam.

1 Dicit Saluator in Matth.: *Nemo potest duobus dominis seruire*. Impossibile est quod unus homo possit seruire duobus dominis, dummodo sint discordes, quia quod uult unus, contradicit alius. Christus et dyabolus sunt diuersi domini, unde Glossa super illud Apostoli, *Que conuentio Christi ad Belial?* "Christus uult omnia bene; dyabolus uult omnia male." Ideo hoc dico, quod nullus potest seruire Deo, nisi prius sit liberatus a peccato.

2 De istis duobus habetur in presenti epistola: de liberatione peccati et seruitute Dei. Vnde in principio epistole: *Sicut exhibuistis <membra uestra seruire immunditie>* etc. Et in proposito: *Nunc uero liberati a peccato*, quasi dicat: Nullo modo potestis seruire Deo, nisi sitis liberati ab ista seruitute dyaboli per |144ra| peccatum. Secundum hoc quatuor tangit Apostolus in uerbis istis: primo presupponit liberationem, cum dicit: *Nunc uero liberati a peccato*; secundo tangit Dei seruitutem, cum dicit: *serui autem facti Deo*; tercio tangit fructum diuine seruitutis: *habetis² fructum in sanctificationem*; quarto tangit premium eterne beatitudinis: *finem uero uitam eternam*.

3 Dicamus de primo. Primo uideamus de seruitute peccati. Legimus in Scriptura quatuor pessimas conditiones huius seruitutis peccati: prima, quod ista seruitus est uilis et ignominiosa; secundo, penalis et afflictiua; tercio, grauis et honerosa; quarto, inutilis et dampnosa.

4 Primo dico: ista seruitus peccati est uilis et ignominiosa, unde in principio epistole: *Sicut exhibuistis membra³ uestra seruire immundicie* etc. Si seruire homini immundo est uile, quanto plus ipsi immundicie! In infinitum immundiores sunt qui seruiunt immundicie peccati carnis quam curatores |144rb| latrinarum, quia lutum est peccator et luxuria stercus, in libro Sapientie: *Luto uilior est uita eius*, quia ignorauit eum a quo factus est, Petrus: *A quo quis superatus est eius seruus efficitur*. Huic concordat Iohannes: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Modo arguo: *Non est seruus maior domino suo*. Sed peccatum nichil est in quantum peccatum, et si actus eius sit aliquid. Sed solum quedam deformitas anime. Sicut qui pingeret pulcrum ymaginem in pariete sine naso, ymago deturparetur, sic anima multum deturpatur per peccatum mortale, quia ad ymaginem Dei creata. Propter immundiciam suam de ymagine Dei, fratres, est ymago dyaboli. Ergo ista seruitus peccati est primo uilis et ignominiosa, quia nichil uilius quam seruire dyabolo propter peccatum suum.

5 Secundo ista seruitus est penalis et afflictiua, Iere.: *Seruietis diis alienis, qui non dabunt uobis requiem*. *Diis alienis*, id est diuersis peccatis. Bene dicit |144va| *alienis*,

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 143vb-146rb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 22; TH. KAEPPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 113, n. 1558.

² habetis] habeas

³ membra] menbra

quia iniquitates nostre diuiserunt nos a Deo. Super illud ad Philippenses, *quorum Deus uenter est*, dicit Glossa: "Hoc ab homine colitur, quod pre ceteris diligitur." Superbus de seipso facit deum suum glorificando seipsum. Similiter de uentre suo gulosus facit deum suum, <et> auarus de nummo, quia auaricia est ydolatria et auarus ydolatra. Tales seruiunt diis alienis, sed *gloria eorum erit in confusione*, quando non subuenient eis in die necessitatis sue, in Deutero.: *Vbi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant* etc., quasi dicat: Si in Deo habuissent fiduciam, utique liberati fuissent, sed auerterunt corda sua ab eo, seruientes diuersis peccatis, ideo non habent requiem. Agricola dum uenit de labore habet requiem, quia quiescit in domo sua propria, sedet ad mensam suam, lauat pedes suos, dormit in pace in lecto suo. Sed peccator in multis peccatis inuolutus qualem potest |144vb| habere requiem? Si bene scrutatur conscientiam suam, non inuenit ibi nisi afflictionem. Quomodo iaceret in lecto ubi essent multa homicidia perpetrata? Quot habet peccata mortalia, tot fecit homicidia. Cogitat quod offendit Deum, amisit seipsum, perdidit paradysum, lucratus est infernum. Ecce quomodo ista seruitus est penalis et afflictua.

6 Tercio ista seruitus est grauis et honerosa. Graue et penale est seruire homini, cuius ferocitas per nullum seruicium potest mitigari, immo quanto plus ei seruitur, tanto crudelior efficitur. Tale seruicium est dyaeboli, quod figuratum est in libro Iudith de Holoferne, cui dixerunt filii Israel: *Esto nobis pacificus <dominus, et> utere seruicio nostro, ut libet <tibi>, et tamen hec facientes ferocitatem pectoris eius mitigare potuerunt*. Hoc eciam figuratum est, 1^o Reg., ubi dixerunt filii labes ad Naas: *Habeto nos federatos*. Respondit Naas: |145ra| *In hoc feriam uobiscum fedus, ut eruam omnium uestrum oculos dextros*. Sciebat quippe illos inutiles ad bellum post eruitionem oculorum dextrorum, quia miles qui uult se defendere in bello tegit sinistrum oculum de scuto, ut caueat sibi de dextro. Ita dyabolus a multis eruit oculos dextros, ne cognoscant bona eterna, et dimittit oculos sinistros, scilicet cognitionem bonorum temporalium, quia pro ipso est. Non facit quod homo cogitet gaudia paradysi, nec supplicia inferni, sed solum ut cogitet temporalia huius mundi. Dyabolus facit sicut coruus uidens cadauer hominis, adhuc timens accedere, eruit oculos eius, et post sumit de cadauere, ut placet sibi. Ita dyabolus, timens accedere ad hominem, eruit spirituales oculos eius, scilicet cognitionem de Deo et de seipso, et tunc facit eum ruere de peccato in peccatum. Ecce quomodo ista seruitus est grauis et honerosa.

7 Quarto est inuti |145rb| lis et dampnosa. Vnde in presenti epistola: *Cum serui essetis peccati, liberati <fuistis> iusticie. Quem fructum attulistis, in quibus nunc erubescitis?* – ecce inutilis. *Nam finis illorum mors est* – ecce dampnosa.

8 Secundum principale huius sermonis est quod subdit liberationem ab ista seruitute, cum dicit: *liberati a peccato*. Liberat Deus Pater peccatorem proprium Filium suum mittendo, liberat Filius in redimendo, Spiritus sanctus gratiam infundendo, tota Trinitas glorificando.

9 De primo, Ps.: *Emitte manum tuam de alto*, id est Filium tuum de celo, ut qui per diuinitatem erat in sinu Patris, per humanitatem descendat in gremium matris, *et eripe me de aquis multis*, hoc est de diuersis temptationibus dyabolicis, *et de manu filiorum alienorum*, scilicet ipsorum demonum qui nos alienant a Deo per peccatum in quantum possunt. Hoc fecit Deus Pater quando unigenitum Filium suum misit in

hunc mundum pro nostra redemptione, et tunc *dederit in obprobrium conculcantes nos*, scilicet de |145va| mones.

10 Secundo liberat <peccatorem> Filius in redimendo. Nec mirum si solus potuit liberare, qui solus fuit liber inter mortuos, qui de seipso ait in Iohanne: *Si <uos> filius liberauerit, uere liberi eritis*. Alibi: *Intelligetis ueritatem, et ueritas liberabit uos*. Notabiliter dicit *liberabit*, quia ueritas modo non semper liberat, sed aliquando succumbit, sicut dicitur uulgariter: ‘Droit a bien mestier d’aide’. Et implet quod dicit Ysaïas: *Veritas corrui⁴ in plateis, equitas non potuit ingredi. Et data est ueritas obliuioni. Omnis homo mendax: solus Deus uerax*.

11 Liberat tercio <peccatorem> Spiritus sanctus gratiam infundendo, quia *ubi Spiritus, ibi libertas*. Vnde clamat Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

12 Item <liberat peccatorem> tota Trinitas in glorificando, quando *ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem glorie filiorum Dei*.

13 Sed qualiter liberatur homo? Notatur quadrupliciter: per memoriam Christi passionis, |145vb| per amaritudinem de peccatis suis, per opera misericordie et pietatis, per feruorem deuote orationis.

14 De primo, in libro Sapientie: *Exiguo ligno tradunt homines animas suas*, scilicet ligno crucis Christi, quod ita fuit exiguum quod non habuit Christus ubi capud suum reclinaret. Quidam dicunt: “Sed non assero quod ita fuit exiguum lignum crucis Christi quod non potuerunt pedes eius esse unus iuxta alium, sed unus clauis transfixus fuit super alium, sicut uidemus pictum in crucifixo.” *Isti ligno tradunt homines animas suas, et transeunt mare*, scilicet huius mundi, de quo Psalmista: *Hoc mare magnum* etc. Sicut enim in mari maior piscis deuorat minorem, sic in mari huius mundi potentior deprimit minus potentem. Transeunt hoc mare per ratem, scilicet crucis, liberati sunt. Bene <dicunt> *transeunt*, quia tota ista uita non est nisi quidam transitus: *Transit mundus, et concupiscentia eius. Transierunt omnia uelud* |146ra| *umbra*; Apostolus: *Non habemus huiusmodi manentem ciuitatem* etc.

15 Secundo liberatur homo a peccato per amaritudinem de peccatis suis, in Iona: *Posuisti me in profundum <in corde> maris, et flumen circumdedit me*. Pulcrum miraculum quod facit Dominus, scilicet currere per mare flumen, hoc est per cor peccatoris amarum flumen dulcedinis sue consolationis, Ps.: *Secundum multitudinem do<lorum> m<eorum>* etc. Ps.: *In mari uia tua*, in cordis contritione, et *semite t<ue> in aquis multis*, in lacrimosa confessione, et *uesti<gia> t<ua>* etc., digna operis satisfactione. Post ista tria homo, post mortem uolat ad requiem.

16 Tercio liberatur homo per opera misericordie et pietatis, unde angelus Thobie: *Eleemosyna a morte liberat* – ipsa est que purgat peccata – et non permittit animas ire in tenebras. *Beatus qui intelligit* etc. *In die ma<la> li<berabit> e<um>* Dominus, quando dicit bonis: *Venite benedicti* etc.

17 Quarto liberatur <homo> per feruorem deuote orationis, ut possit dicere illud |146rb| Psalmi: *Dirigatur, Domine, oratio m<ea>*.

18 Sequitur tercium principale huius sermonis de seruitute Dei: *serui facti Deo*. Quomodo debemus seruire Deo ostendit beatus Zacharias, pater beati Iohannis

⁴ corrui] cecit(!)

Baptiste, in cantico suo: *Seruiamus ei*; et quomodo: *in sanctitate* sine aliqua turpitudine, *et iusticia* sine defraudatione, *coram ipso* sine aliqua fictione, *omnibus diebus nostris*, perseveranter sine intermissione. Qui sic seruiant Deo habebunt fructum sanctificatum in presenti, finem uero uitam eternam, quam nobis . . .

<SERMO 20A>¹
<Dominica decima quinta post Trinitatem>
<sine rubrica>

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

1 In ista epistola monet nos Apostolus ad quatuor que sunt necessaria ad salutem, sine quibus non est salus. Primo <monet nos> ad ambulandum cum Deo, cum dicit: *Si spiritu uiuimus, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis glorie cupidi* etc. Dicitur autem *Si spiritu* etc. sub conditione, non absolute, quasi dicat: Si ita est ego nescio, Deus scit. *Nemo enim scit utrum amore uel odio dignus sit*; in Iohanne: *Spiritus ubi uult spirat*.

2 Secundo monet nos ad compatiendum proximo, unde sequitur: *Fratres, si preoc<c>upatus fuerit homo in aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, huius<modi> corripite in spiritu lenitatis* etc. Et statim sequitur: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis> le<gem> Christi*. Lex autem Christi est dilectio proximi, quia *qui diligit proximum, legem impleuit*.

3 Tercio monet ad humiliter sentiendum de seipso, unde sequitur: *Si quis existimat se aliquis esse, cum nihil sit, se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso gloriam habebit, non in altero*. Notabiliter dicit *probet*, id est probabiliter examinet, ut se ex<h>ibeat in bonis operibus probabilem dyalecticum,² non apparentem sophisticum.³

4 Quarto monet nos ad proficiendum et perseuerandum in bono, unde in fine epistole: *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus* etc. Sicut dicit Ecclesiastes III: *Omnia tempus habent*. Et ponit ibi octo tempora, scilicet *tempus nascendi, tempus moriendi; tempus plantandi, tempus euellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, tempus sanandi* etc. Tamen inter illa tempora non ponit tempus bene faciendi. Cuius ratio potest esse, quia ponit ibi illa que determinant sibi tempus. Si bene operari non determinat sibi tempus, immo uendicat sibi omne tempus, omni enim tempore est bene faciendum: in principio, medio et fine, Thob. IIII: *Omni tempore benedic Deo: et pete ab eo, ut uias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant*; et Eccle. IX: *Omni tempore sint uestimenta tua candida; et oleum de capite tuo non deficiat*. Ideo Apostolus: *Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non <deficientes>* etc.

5 Possunt enim notari in uerbo proposito quatuor: primo, notatur temporis ad bene operandum opportunitatem, cum dicit: *Dum tempus habemus*; secundo, monet nos ad operandum, cum dicit: *operemur*; tercio, ostendit operis conditionem, cum dicit: *bonum*; quarto, operis perfectionem et uniformitatem, cum subdit: *ad omnes*.

6 Primo ergo notatur temporis opportunitas, que patet ex septem conditionibus.

¹Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 16499, ff. 239ra-240ra; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 23; TH. KAEPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 113, n. 1559.

²dyalecticum] dyalecticus

³sophisticum] sophisticus

7 Primo ex temporis preteriti amissione, quando homo cogitat quod longo tempore amisit tempus suum. Quamdiu fuerit in peccato mortali amisit tempus suum. Etiam si fecit aliqua bona opera, illa fuerint amissa quia non fuerint uite eterne <opera> meritoria, sicut diceretur de illo qui seminat in terra sterili, in qua numquam metet. Et talis amittit tempus. Vnde hoc deberet ipsum multum excitare ad hoc quod bene operaretur quando Dominus dat ei tempus. Ideo dicitur I Petr. IIII: *Christo igitur in carne passo, et uos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, <desiit> a peccatis: ut iam non hominum desideriiis, sed uoluntati Dei, quod reliquum est, et <in carne> uiuat temporis. Sufficit enim tempus preteritum [et] ad uoluntatem gentium consummandam qui ambulauerunt in luxuriis, in desideriiis etc.* Et patet <quia> post sequitur: *Qui reddent rationem ei qui paratus est iudicare uiuos et mortuos.* Nec sufficit quod homo amisit tempus suum quamdiu fuit in peccato mortali, immo de tempore amisso oportebit reddere rationem. Vnde Bernardus: "Sicut non peribit capillus de capite, sic non momentum de tempore, de quo non oporteat reddere rationem." Anselmus: "Exigetur omne tempus inpensum, qualiter fuerit expensum?" Et Matth. XII: *Omne uerbum oc[c]iosum, quod locuti fuerint homines, <reddent rationem> etc.* Et Tren. I: *Vocauit aduersum me tempus ut conteret⁴ electos meos, etiam illos qui uidentur electi.*

8 Secundo ex temporis preteriti amissi irreuocabilitate. Si enim homo amisit tempus suum, non potest recuperare. Sed si amisit possessionem temporalem uel sanitatem corporalem, potest recuperare. Non autem tempus. Vnde Bernardus: "Nemo estimat parum tempus quod in uerbis oc[c]iosis consumitur. | 239rb | Volat uerbum irremediabile,⁵ transit tempus irreuocabile. <O donec> transit hora, quam <tibi> ad agendam penitentiam, ad implorandam⁶ ueniam, ad impetrandam gratiam, ad promerendam⁷ gloriam tempus misericordia Conditoris indulget!"⁸ Ideo dicit Sap. II: *Vmbre transitus est tempus nostrum, et non est reuersio finis nostri: quoniam consignata est, et nemo reuertetur.* Vnde⁹ sicut umbra transit irreuocabiliter, ita tempus nostrum. Et ideo modo dicunt dampnati in inferno: *Ergo errauimus a uia ueritatis, et lumen iusticie non luxit in nobis, et sol intelligentie non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia?*

9 Tercio ex temporis presentis breuitate. Valde enim tempus breue est quod datur nobis ad bonum operandum, et quanto breuius, tanto oportunius, Sap. II: *Homo infirmus ego sum, et exigui temporis et minor ad intellectum iudicii etc.* Et in Iob: *Breues dies hominis etc.* Quod autem tempus sit breue patet, et in se et in comparatione <ad uitam eternam>.

10 In se, quia de toto tempore quod fuit, est et erit, non¹⁰ habemus nisi nunc: tempus enim preteritum non habemus, nec habere possumus. Tempus etiam futurum non habemus, nec forte habebimus. Ideo dicitur in Ecclesiastico: *Memor esto iudicii mei; sic enim erit et tuum: mihi heri, et tibi hodie*, quasi dicat: Meum in preteritum; tuum presens. Vnde non dicit 'cras' uel 'post cras,' sed 'hodie.' Immo de hodierna die non

⁴ conteret] conterat

⁵ irremediabile] labile (?), I have written with Bernard

⁶ implorandam] promerendam, I have written with Bernard

⁷ Promerendam] implorandam, I have written with Bernard

⁸ indulget] indulcit, I have written with Bernard

⁹ Vnde] sequitur written after and expunged

¹⁰ non] nisi

habemus nisi nunc. Et ideo magna fatuitas est tibi una hora morari in peccato mortali, quod de toto tempore non habemus nisi nunc, et forte in illo nunc moriemur. Ideo dicitur Ioel II: *Nunc ergo: Conuertimini ad me* etc. Et Ps.: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit*.

11 Item quod tempus <in> se breue, hoc patet in comparatione ad uitam eternam, que caret fine, quia quod habet finem punctale est, et quasi nihil respectu eius que numquam habebit finem. Vnde Eccli. XVIII: *Numerus dierum hominum ut multum <entum> anni, q<uasi> gut<t>a aque maris deputati sunt*. Notatur de pugile qui est in campo, qui uidet quod baculus suus deficit, prouidet sibi de alio baculo antequam ille totaliter defecerit ei.

12 Quarto ex temporis presentis et breuis utilitate. Vtile est enim tempus presens ad agendam penitentiam, Apoc. II: *Dedi ei tempus ut ageret penitentiam: et non uult penitere a fornicatione sua*. Item <utile est tempus presens> ad negociandam siue merendam uitam eternam, Eccles. VIII: *Omni negotio tempus est et oportunitas*; et II Cor. VII: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*; et II Cor. III: *Id quod in presenti est momentaneum et leue tribulationis*. Notabiliter dicit: *Non contemplantibus nobis ea que uidentur*. Loquitur pro se et suis similibus et pro statu primitiue Ecclesie, in quo contempnebant omnia – diuicias, delicias, honores. Modo omnes querunt que sua sunt, non que Ihesu Christi. Et Iere. X: *A maiore usque ad minorem, omnes auaricie student*. Vnde status Ecclesie moderne ad statum pueri est perductus. Solet dici quod bis est homo puer, scilicet in principio et in fine, scilicet in senectute.

13 Quinto ex temporis futuri incertitudine. Incertum est enim homini si postea habebit tempus ad bonum operandum. Et ideo quamdiu habet tempus deberet bonum operari, Ecclesiastes IX: *Nemo scit utrum amore uel odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*. Et in eodem: *Nescit homo finem suum; si sicut pisces capiuntur hamo* etc. Et ideo similiter etiam differre penitentiam <magna fatuitas est> a mane usque ad uesperam, Ecclesiasticus XV: *A mane usque ad uesperam inmutabitur tempus*. Notatur quod si rex Francie preciperet alicui seruo sub pena capitis quod ueniret ad eum antequam uentus esset mutatus, multum esset fatuus si differret uenire usque ad horam terciam uel sextam, quia subito mutatur uentus. Solet dici quod “ad paruam <pluuiam> | 239va | cadit magnus uentus” et cetera. Vita hominis est quasi uentus quidam, unde cantatur de mortuis: “Memento mei, Domine, quia uentus est uita mea.” Iacobus III: *Vita uestra vapor est ad modicum parens* etc. Dominus autem, qui est rex regnum et dominus dominantium, precipit nobis non sub pena capitis, sed sub pena dampnationis eterne in anima et corpore, ut ueniamus et conuersi simus ad ipsum quamdiu iste uentus flat. Et ideo magna fatuitas est differre, Eccli. V: *Ne tardes conuerti ad Deum et ne differas* etc.

14 Sexto ex impossibilitate operandi in futuro. Io. IX: *Me oportet operari opera eius qui misit me dum dies est; uenit enim nox, in qua nullus potest operari, nox scilicet mortis et eterne dampnationis*. Eccli. IX: *Quodcumque <facere> potest manus tua instanter operare, quia nec opus ad merendum, nec ratio ad e<x>cusandum, nec scientia ad studendum, nec sapientia ad defendendum, est apud inferos, quo tu properas*. Eccli. XI: *Si annis multis uixerit homo, et in omnibus letatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum*¹¹ etc.

¹¹ multorum] malorum

15 Septimo ex factorum in futuro tempore remuneratione, unde Gal. VI: *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes*. Glossa: “Non debet deficere in operando, qui non deficiet in metendo. Si homo non imponit finem operi, nec Deus imponet finem remunerationi. Quantum seminamus in operibus, tantum metemus in fructibus.” Sap. III: *Tamquam aurum in fornace probauit illos Dominus; et parum post: et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti* etc.

16 Habemus ergo primum, scilicet temporis ad bonum operandum oportunitatem.

17 Secundo monet nos ad operandum, cum dicit: operemur. Est autem naturalis ratio quare operari debemus. Vna tacta est, scilicet temporis oportunitas; ista est ante mortem dum tempus habemus. Eccli.: *Ante obitum operare iusticiam, quia non est apud inferos inuenire cibum*. Modo enim habemus tempus et possumus facere quod uolumus, sed in proximo Deus aufert tempus, forte cras uel post cras, Ps.: *Cum accepero tempus, ego iusticias iudicabo*. Si iudicabit iusticias, quid faciet de iniusticiis? Si autem esset operandi oportunitas, et non esset necessitas, adhuc posset se homo excusare.

18 Ideo secunda ratio est operandi necessitas, quia Dominus precipit. Vnde transgressores erimus nisi bonum operamur; non enim solum debemus declinare a malo, sed etiam facere bonum, Luc. XIII: *Sex dies sunt in quibus operari oportet; et Exodus XX: Sex diebus operaberis, et facies opera omnia <tua>. Die autem septimo sabbatum Domini est: non facies omne opus in eo*. Ideo dicitur in Apoc. II: *Memor esto unde excideris: et age penitentiam, et prima opera fac: sin autem, uenio tibi, et mouebo candelabrum tuum de loco suo*. † Candelabrum ***¹² est cuius *** uiuificatum eius locus est super animam, † quod mouebo de loco suo: in morte est quando corpus ponetur sub terra in sepulchro, anima uero sub terra in inferno. Notabiliter autem dicit: *prima opera fac*. Loquitur enim aliquibus qui fuerunt aliquando in magno feruore, in feruenti caritate, et feruorem suum reliquerunt, unde parum ante dicitur: *Scio opera tua, et laborem tuum, | 239vb | et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos. Et habeo aduersum te, quia caritatem tuam primam reliquisti*. Vnde in eodem libro III: *Scio opera: quia nec frigidus nec calidus es. Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo*. Vnde sicut aqua tepida est abominabilis, ita isti sunt Deo abominatio.

19 Hec autem esset operandi necessitas, et multi essent operarii qui possent supplere huius necessitate, adhuc posset se excusare homo. Ideo tertia ratio est operancium paucitas, de qua Luc. X: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*; et Mt. XX, ubi loquitur de operariis: *Multi uocati <sunt>, pauci uero electi*. Vnde multum debet se quilibet timere, ne sit numerorum multorum reproborum. Ideo dicit Apostolus, Phil. II: *Cum metu, scilicet cordis, et tremore corporis, salutem uestram operamini. Deus enim est qui operatur in uobis, <et> uelle et perficere pro sua bona uoluntate*. Ista paucitas electorum siue saluandorum signata fuit Ysa. XXIII, ubi dicitur: *Hec erunt in medio terre, in medio populorum, quomodo si pauce oliue que remanserunt si <ex>cutiantur ex oleo; et racemi cum¹³ fuerit finita uindemia*. Vnde sicut post uindemiam remanent pauci et parui et absconditi (tales enim fugiunt manus uindemiatorum), ita pauci saluabuntur.

20 Quarta ratio est operandi utilitas, que ad presens est quadruplex.

¹² uelabrum(?)

¹³ cum] non, I have written with the Vulgate

21 Prima est ne per occium¹⁴ rubigo peccati contrahatur. Ferrum enim per occium contrahit rubiginem, aqua putredinem, uellus tineam, equus scabiem,¹⁵ similiter anima peccatum. Exemplum habetur de Daud, qui, cum remansit in Ierusalem aliis euntibus in bellum, contraxit culpam adulterii et homicidii. Ezech. XVI: *Hec fuit iniquitas Sodome: superbia et saturitas <panis> et occium*. Ideo dicitur Eccli. XXXIII: *Mitte illum, scilicet seruum pigrum, in operatione, ne uacet etc. Multa enim mala docuit occiositas*. Et Prouer. XII: *Qui operatur terram saturabitur panibus; qui autem sectatur occium stultissimus est*.

22 Secunda est ut offensa diuine maiestatis placetur, Gen. XXXVIII: *Placabo illum muneribus que*¹⁶ *precedent*,¹⁷ *et postea uidebo illum, forsitan*¹⁸ *propiciabitur mihi*; et II Paralip. XIX: *Iram Domini merebaris: sed bona opera inuenta sunt in te*; et Iob IX: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceret delinquenti*. Nota quod multum excitat operarium ad operandum, quando magister operum semper respicit eum.

23 Tercia utilitas est ut per bona opera homo in bono statu custodiatur. Similiter enim ignis non potest diu conseruari sine lignis, quia *cum defecerint ligna, extinguetur ignis*, sicut dicitur in Prouerbiis. Ita homo non potest diu conseruari in bono statu sine bonis operibus. Ita in signum huius dicitur Gen. II: *Tulit Deus hominem, et posuit eum in paradiso uoluptatis, ut operaretur, et custodiret illum*. Glossa: "Deus hominem iustum <fecit>, ut quod faceret in agro per agriculturam, custodiret in seipso per disciplinam; ut, sicut ager obtemperaret colenti, sic homo Deo precipienti <redderet>."

24 Quarta est ut merces bono operi reddatur, Iere. XXXI: *Quiescat uox tua a ploratu, et oculi tui a lacrimis, quia est merces operi tuo*; Eccli. ultimo: *Operamini opus uestrum ante tempus, et dabit uobis mercedem uestram in tempore suo*; et Hebreos XI: *Sancti per fidem uicerunt regna, operati sunt iusticiam etc.*

25 Sequitur tertium, in quo ostendit nobis operis conditionem, |240ra| cum dicit: *Operemur bonum*.

26 Ad hoc autem quod opus sit bonum, primo necessaria est mundicia cordis. Si enim homo esset in peccato mortali, eius opera non essent bona, id est uit<e> eterne meritoria, Prouer. XXI: *Qui mundus, rectum est opus eius*; et Ysa. I: *Cum multiplicaueritis orationes uestras, non exaudiam uos. Manus enim uestre sanguine plene sunt*. Alibi: *Mundi estote; auferte malum etc.* Prouer. XXV: *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda sint et recta opera eius etc.*

27 Secundo necessaria est radix caritatis. Tota enim uirtus merendi consistit in caritate, sicut tota uirtus <calefaciendi> consistit in igne. Vnde merito significatur per denarium quod dominus conduxit operarios in uineam suam, Ro. VIII: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; et Gal. V: *In Christo Ihesu nec circumcisio [ad] aliquid ualet, nec prepuccium: sed fides que per caritatem operatur*.

28 Tercio necessarium est genus operis, ut illud quod facit sit de genere bonorum; aliter enim non esset meritorium quantum ad opus operatum, Eccli. III: *Cor sapiens et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus iusticie sucessus habebit bonos*.

¹⁴ occium = otium

¹⁵ scabiem] scabiam

¹⁶ que] qui, I have written with the Vulgate

¹⁷ qui precedent] written twice

¹⁸ forsitan] forctitan

29 Quarto necessaria est rectitudo intentionis; unde Augustinus: “Non multum attendas quid homo faciat, sed quid cum facit intendat.”

<SERMO 20B>¹

<Dominica decima quinta post Trinitatem>

Sermo fratris Guillermi de Luxi Iacobite, Dominica XV^a

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes etc.

1 In ista totali epistola monet nos Apostolus ad quatuor saluti nostro necessaria, immo sine quibus non est salus. Primo monet nos ad ambulandum cum Deo, cum dicit: *Si spiritu uiuimus*; et post: *Non efficiamur inanis glorie cupidi*, quasi dicat: | 164va | Quantumcumque bene egeritis, nullam uobis promitto securitatem, quia dicitur Ecclesiastes IX: *Sunt iusti et sapientes, et opera eorum sunt in manu Domini. Et nescit homo utrum amore an odio dignus sit*. Ideo dicit: *Non efficiamur inanis glorie cupidi*. Tamen aliquantulum potest homo perpendere utrum spiritualiter uiuat, scilicet si uanam mundi gloriam non appetat.

2 Secundo monet nos ad compaciendum proximo, cum dicit: *Fratres, et si preoccupatus fuerit etc.*

3 Tercio monet nos ad humiliter senciendum de nobis, cum dicit: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*.

4 Ex istis tribus concludit: *Ergo dum tempus habemus etc.*, quasi dicat: Quamdiu habemus tempus in quo operari possumus, operemur bonum, quia non habebimus tempus futurum in nostra potestate nec in nostra uoluntate. Et sic presupponitur oportunitas temporis, cum dicit: *Dum tempus habemus*.

5 Debemus autem operari bonum dum tempus habemus propter septem: primo, propter temporis preteriti amissionem; secundo, | 164vb | pro amissi temporis irreuerabilitate[m]; tercio, pro temporis quod habemus breuitate; quarto, pro temporis breuis et presentis utilitate; quinto, pro futuri temporis incertitudine; sexto, pro futuri temporis operandi impossibilitate; septimo et ultimo, pro futuri temporis remuneratione.

6 Dico primo quod debemus operari bonum pro preteriti² temporis amissione, quando homo cogitat per se quod amisit tempus suum. Quamdiu fuit in mortali peccato multum deberet timere, quia bona quecumque facit non sunt ei meritoria, nec ad uitam eternam promerenda<m>. Si homo seminaret in terra arida et sterili, in qua nihil colligeret, stultus ab aliis reputaretur. Opera hominis sunt semina eius; ex illis operibus in peccato mortali seminatis homo non recipit fructum salutis, quia:

“Viueret non possunt, que mortua nata³ fuerunt.
Illa reuiuiscunt, que mortificata fuerunt.”

Qui hoc bene cogitaret ad bene operandum moueri deberet. Et certe amit | 165ra |

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Paris, Bibl. Nationale, lat. 14952, ff. 164rb-166va; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 23; TH. KAEPPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 113, n. 1559.

² preteriti] futuri

³ mortua nata] mortificata (homoioteleuton); I have corrected it to mortua nata

tere istud tempus non est parum, quia care et districte nobis computabitur. Bernardus: "Sicut capillus non peribit de capite, ita nec momentum de tempore." Et beatus Anselmus: "Omne tempus quod tibi impensum fuit, requiretur a te qualiter fuit expensum." Et de omni uerbo ocioso, quando cuilibet dicetur in morte: *Redde rationem uillicationis tue. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.*

7 Secundo debemus operari bonum pro amissi temporis irrecuperabilitate. <Quando> amisit homo sanitatem ex consilio medici potest recuperari, <set quando> amisit homo momentum temporis non potest recuperari. Bernardus: "Non parum estimat⁴ homo tempus quod in uerbis expenditur ociosis, quia uolat uerbum irreuocabile, et nescit insipiens quid amittat." Dicunt dampnati in inferno: *Vmbre transitus fuit tempus nostrum; uias difficiles⁵ ambulauimus*; et sequitur conclusio: *Ergo errauimus a uia ueritatis*. Pessima conclusio numquam peior dicta fuit dicunt: *errauimus*. Si diceretur alicui transeunti per aliquam uiam: "Noli ire per |165rb| uiam illam, quia si uadis, inuenies latrones qui te spoliabunt et occident." Si per talem uiam iret, fatuus esset, et diceretur quod erraret. Cotidie clamatur nobis, ne erremus in hoc mundo in uia peccatorum, quia ibi sunt demones animas spoliantes et interficientes. Ergo non est bonum ibi errare. Qui enim ibi errant dicent cum dampnatis in inferno: *Errauimus etc. Ergo dum tempus habemus etc.*

8 Tercio debemus operari bonum pro presentis huius temporis breuitate, quia quanto tempus breuius, tanto ad operandum salubrius. Ideo Salomon in libro Sapientie: *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam*; sequitur: *Homo enim sum exigui temporis*. Et in Iob: *Breues dies hominis sunt etc.* Est autem tempus breue in se et in comparatione <dampnatorum et beatorum>.

9 In se, quia non habemus de tempore nisi nunc, et semper sumus in amittendo istud nunc. Non habemus tempus preteritum, quia transiit, nec futurum, quia incerti sumus de habendo. Solum habemus istud nunc, et tamen est multum fluens. In persona dampnati dicitur in Ecclesiastico: *Memor |165va| esto iudicii mei; <h>eri meum, hodie tuum*. Non dicit 'cras' uel 'post cras,' sed 'hodie,' presentialiter. Et quia plus non habet homo de tempore, quid ei restat nisi ut bene operetur? Quomodo presumit morari in aliquo mortali peccato, quando homo aliquis est hodie sanus, cras infirmus, forte mortuus? Et si in peccato mortali inuenitur, quid erit de illo? Factum est negocium suum: dampnabitur. Ecce quod tempus est breue in se.

10 Item breue in comparatione, scilicet dampnatorum et beatorum, quia omne quod habet finem et termino concluditur momentaneum est respectu eius quod non habet finem. Ideo bonum est consilium Psalmiste, qui dicit: *Cogitauit dies antiquos, <et annos eternos in mente habui> etc.* Qui illos annos eternos in memoria semper haberet, istos annos momentaneos de facili contempneret, nec in peccato mori uellet. Nota: Sapiens pugil qui est in campo quando uidet quod baculus suus deficit, |165vb| prouidet sibi de alio, quia si expectaret donec totaliter deficeret, posset uinci a socio suo. Baculus noster deficit cotidie, scilicet uita nostra; ideo priusquam totaliter deficiat, bonum est nobis prouidere de alia uita. Nam si non prouideremus cito, a dyabolo inimico nostro uinci poterimus. *Ergo dum tempus habemus etc.*

12 Quarto debemus operari bonum propter temporis breuis utilitatem. Etsi

⁴ parum estimat] parestimet (!), *I have written with Bernard*

⁵ difficiles] *added in the margin*

enim sit breue, tamen est utile ad faciendam penitentiam, ad impetrandam ueniam, ad acquirendam Dei gratiam, ad promerendam gloriam. Ideo Dominus in Iohanne: *Operamini dum dies est*, id est dum habetis tempus in quo potestis operari, *uenit nox*, scilicet hora mortis uel futurum tempus, *in quo non licet operari*. Et Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile etc. Ergo dum tempus habemus etc.*

13 Quinto debemus bonum operari pro futuri temporis incertitudine, quia scriptum est in Ecclesiaste: |166ra| *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et aues laqueo, sic homines mali tempore malo*. Ideo ualde stultus est qui differt facere penitentiam usque ad uespera, scilicet senectutem, quia aliquis habet mane, quod cito ei mutatur in uesperam. Si rex Francie mandaret alicui quod ueniret ad eum sub pena corporis ante uenti huius mutationem, stultus esset si differet uenire. Rex celestis mandat nobis ut ueniamus ad⁶ eum sub pena anime et corporis ante uenti istius mutationem, scilicet dum uita nostra durat, que est quasi quidam uentus, Iob: *Memento quia uentus est uita mea*. “Ad modicam pluuiam cadit magnus uentus.” Sic ad modicam infirmitatem moritur unus magnus homo. Vnde Iacobus: *Quid est uita nostra? uapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur*. Ergo fatui sumus si expectamus. Ideo bonum consilium dat nobis: *Fili, ne tar*|166rb|*des conuerti ad Dominum, et ne differas de die in diem; alibi: Quodcumque <facere> potest manus tua, instanter operare, quia nec opus ad operandum, nec ratio ad excusandum, nec scientia ad allegandum, nec sapientia ad bene loquendum, est apud inferos, quo tu properas. Ergo dum tempus habemus etc.*

13 Sexto debemus operari bonum pro futuri temporis impossibilitate. In euangelio: *Operamini dum dies est: uenit nox, quando non licet operari*. In Ecclesiaste: *Et si multis annis uixerit homo, et in omnibus letus fuerit, meminisse tamen debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, immo annorum multorum,*⁷ *qui cum uenerint, uanitatis arguentur tempora preterita. Ergo dum tempus habemus, et cetera.*

14 Septimo et ultimo debemus bonum operari propter mercedis in futuro remunerationem. Vnde in libro Sapientie de bene operantibus dicitur: *In tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti etc.* Item: *Reddet <iustis> Deus mercedem laborum sanctorum suorum* |166va| *illam*, de qua Dominus Abrahe dicit: *Ego sum merces tua nimis magna est, quia oculus non uidit, maiora quia nec auris audiuit, maxima quia nec in cor hominis ascendit que, et quanta sunt gaudia que Deus diligentibus se preparauit.*

15 Similiter de ista distinctione potest fieri sermo dominica prima in Quadragesima sub isto t<h>eumate: *Ecce nunc tempus acceptabile etc.*

6 ad| written twice

7 multorum (?)

<SERMO 21>¹

<Dominica uicesima secunda post Trinitatem>

Sermo in uicesima secunda dominica fratris Guill<elm>i de Busci

Confortamini in Domino, et in potencia uirtutis eius.

1 *Adaperiat Dominus cor uestrum in lege sua, et in preceptis suis, et faciat pacem.* Verba ultima cantantur hac nocte in matutinis, et scribuntur II^o Machabeorum. Karissimi fratres, ille solus potest aperire hostium qui habet clauem hostii. Dominus habet clauem auctoritatis, licet sacerdotes habeant clauem ministerii. Solus Dominus potest aperire cor, quia solus habet clauem, Ysa.: *Dabo super humerum eius clauem <domus> Dauid.* Clauis ista fuit fabricata in passione, Ps.: *Super dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Set per peccatum primorum pa| 199ra| rentum porta celi fuit clausa et clauis² innocencie amissa. Ergo clauis penitencie fuit fabricanda. Oportuit igitur quod ostium frangeretur et regnum celorum uim pateretur. *Adaperiat Dominus <cor uestrum> etc., <scilicet> aurem <uestram> predicationi.* Vnde Ysa.: *Dominus aperuit michi aurem, ego autem non contradico.* Ille contradicit qui contrarium facit ei quod audit. Aliqui nolunt audire predicationem; similes sunt aspidi surde que obturat aures suas, ne audiat uocem incantancium.

2 Item debet homo aperire cor contricioni, unde in proposito: *Adaperiat Dominus cor uestrum in lege sua, et in preceptis suis, et faciat pacem.* Vnde Dominus: *Creauit pacem laborum, id est confessionis fructum;* et in Apocalypsi: *Dico ego sto ad hostium, et pulso: si quis aperuerit michi, intrabo ad eum, et cenabo cum illo.*

3 Item debet homo aperire manum bone operacioni. Exemplum habemus in forti muliere, que manum suam aperuit inopi.

4 Item debemus aperire os orationi et predicationi, unde scribitur: *In medio ecclesie aperuit os suum, et illum impleuit Dominus spiritu sapientie et intellectus.* Ps.: *Os meum aperui et attraxi spiritum. In principio rogabimus Dominum etc.*

Confortamini etc.

5 Verba ista sunt in epistola hodierna. Tota epistola hodierna, a principio usque ad finem, est de pugna spirituali contra hostes spiritualiter nos inpu gnantes, *quia non est nobis colluctacio aduersus carnem et sanguinem, scilicet tantum, set aduersus principes et potestates mundi, rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequicie in celestibus,* id est pro celestibus.

6 Loquamur de pugna spirituali ad |199rb| similitudinem pugne corporalis. Quando pugil est in campo uidet aduersarium fortissimum. Prefixe sunt licie quas non licet transire. Custodes circumstant undique. Ex una parte uidet coronam sibi paratam si uicerit; ex alia parte uidet patibulum sibi paratum si uictus fuerit. Pugil iste indiget multum confortari. Talis condicionis sumus nos. Sumus pugiles in mundo ad pugnandum contra dyabolum pro hereditate amissa <et> pro Christi gracia recuperanda, unde scribitur: *Pugnabimus pro animabus nostris.* Iob: *Milicia est uita nostra*

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 198vb-203vb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 480, n. 32 and 33; TH. KAEPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 111, n. 1541.

² clauis] clausis written and the first s expunged

super terram; et in Ysa.: Ego Dominus qui loquor iusticiam, propugnator sum ad saluandum. Bernardus: “Quamdiu uiuimus in stadio certaminis positi sumus.” Licet prefixe sunt quas transire non possumus, scilicet principium discrecionis et finis. Semper impugnat nos dyabolus, unde uult Augustinus quod semper nobis pugna est, minui potest, finiri non potest. Custodes deputati sunt angeli boni ad nos iuuandum, et angeli mali ad precipitandum. Victoribus parata est corona in celo, set uictis paratum est supplicium in inferno.

7 Indigemus igitur confortari. Et in quo? Certe in Domino et in potentia uirtutis eius.³ Et quomodo? Dicit Apostolus: *Induite uos armatura*<m> *Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli. Non est nobis colluctacio aduersus carnem et sanguinem, scilicet tantum, set aduersus principes et postestates mundi, rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequicie in celestibus.*

8 Notantur autem in uerbis istis quatuor. Primo, Apostolus hortatur nos ad confortacionis actum, cum dicit: *Confortamini.* |199va| Secundo, ostendit confortacionis obiectum,⁴ cum dicit: *in Domino, et in potentia uirtutis eius.* Tercio, docet confortacionis modum, cum dicit: *Induite.* Quarto, subiungit confortacionis fructum, cum subdit: *ut possitis stare contra insidias diaboli.* In uerbis istis ad presens duo notantur, scilicet confortacionis actus et confortacionis obiectum. De actu confortacionis erit sermo.

9 Et notandum quod septem solent confortare militem in bello corporali, et similiter in bello spirituali. Confortat autem militem in bello corporali oportunitas temporis, bonitas principis siue capitis, debilitacio hostis, exemplum precedencium patrum, societas commiliconum, uitacio confusionis, et adeptio mercedis. Quando est bonum tempus ad pugnandum, et homo militat sub bono principe, et uidet hostes suos debilitari, et uidet parentum exempla, habet bonos <commilitones>, scit si est uictus quod confundetur, et si uicerit habebit remunerationem, tunc debet confortari.

10 Primo dico: confortat militem in pugna oportunitas temporis. Vnde in primo Machabeorum dicitur: *Videns Ionathas quod tempus eum iuaret.* Et in Ecclesiaste: *Omni negocio tempus est et oportunitas. Omnia tempus habent: est tempus belli, et tempus pacis.* Notate ordinem. Dicit primo quod est tempus belli, quia per bellum deuenitur ad pacem. Vnde Augustinus: “Tantum est bonum pacis, ut per eius contrarium acquiratur.” Non potes habere pacem pectoris nisi pugnando; obtemperando dyabolo, mundo et carni impossibile est pacem habere.

11 Loquamur de carne. Impossibile est te pacem habere faciendo desideria carnis, quia faciendo desideria carnis augetur |199vb| concupiscencia. Quia insatiabilis est concupiscencia carnis, hodie bene comedis <et> cras uis melius comedere; luxuriaris hodie et cras uis luxuriari. Mortifica carnem tuam et habebis pacem. Impossibile est pacem habere cum exactore, nisi homo conculcet eum et ponat eum sub pede suo. Similiter non habet pacem aliquis cum muliere litigiosa nisi conculcet. Caro est exactor et mulier litigiosa; impossibile est igitur cum ea pacem habere nisi conculcet. Quia sancti habuerunt pacem cum carne, nisi quia ipsi carnem mortificauerunt, quia *caro concupiscit aduersus spiritum, et spiritus adu*<er>*sus*

³ eius] written twice

⁴ obiectum] actum written and expunged, and obiectum written above the line in another hand

carnem: ut non quecumque uultis faciat; ut dicit Apostolus: Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Hoc significatum est in Genesi de duobus fratribus, Habraham et Loth, qui fuerunt diuites ualde. Non potuerunt pastores eorum habere pacem, et dixit Abraham: *Queso non sit iurgium inter me et te: fratres enim sumus. Ecce uniuerſa terra coram te: si ad sinistram ieris, tenebo dexteram, si uero dexteram tenueris, ibo ad sinistram.* Loquitur Scriptura sacra ad modum puerorum et condescendit pueris. Quando spiritus et caro habent contencionem, dicit spiritus ad carnem: “Ecce uniuerſa terra, id est omnia terrena, coram te pono in opzione tua, ut facias uoluntatem tuam, unum tamen dico tibi: Si tu i[u]eris ad dexteram in presenti, ego ibo ad sinistram in future, quando dicit⁵ Dominus malis: *Ite maledicti in ignem eternum.* Si uero ieris ad sinistram aduersitatis et penitencie in presenti, ego ibo ad dexteram in futuro, quando Dominus dicit: *Ve | 200ra | nite benedicti Patris mei.*”

12 Oportunitas igitur temporis ualet ad pugnandum. Debemus igitur confortari, quia est modo oportunitas temporis ad pugnandum, unde in⁶ Zach.: *Confortare nunc, Jerobel;*⁷ sequitur: *Confortare, omnis popule, quia ego tecum sum Dominus exercituum,* scilicet deberem pugnare contra hominem fortem, et haberem mecum regem, et tunc esset tempus ad pugnandum, <et> deberem merito confortari. Set modo Dominus exercituum est nobiscum; eciam si sumus in mortali peccato, paratus est esse nobiscum.

13 Nota quod dicit: *Nunc confortare.* Per 'nunc' signatur tempus misericordie; per 'tunc' tempus iusticie. Non expectemus tempus iusticie, de quo dicitur in libro Sapientie: *Pugnabit <cum illo> orbis terrarum contra insensatos.* Set modo est tempus misericordie, unde in libro Regum: *Nunc retribuet <uobis> Dominus misericordiam et ueritatem. Confortentur manus uestre, et estote filii fortitudinis,* scilicet ad expugnandum dyabolum et peccata. Fatuus esset pugil qui non percuteret inimicum suum quamdiu haberet baculum, set expectaret donec amisisset baculum. Nunc habemus baculum contra dyabolum. Set quando anima exierit de corpore, tunc auferret nobis Dominus tempus pugnandi, unde Dominus: *Cum accepero tempus, ego iusticias iudicabo.* Quando pugil uidet quod fere amisit baculum suum, antequam totaliter amittat eum, prouidet sibi ad dexteram et sinistram de alio baculo uel de aliis armis. Sumus in mundo, sicut pugiles in campo, qualibet die amittimus baculi partem nostri, id est de uita nostra.

14 Debemus igitur nobis prouidere de alia uita que numquam deficit. Igitur oportunitas temporis debet nos confortare in pugna contra | 200rb | dyabolum, unde Ysa.: *Confortamini. Adhuc dies est ut in Nobe stetur.* 'Nobe' interpretatur latratus. Canes sunt peccatores. De peccatore dicitur: *Canis reuersus ad uomitum.* Per 'Nobe' igitur signantur peccatores contra dyabolum in confessione latrantes. Notate quod dicit: *adhuc dies est.* In principio et in medio diei non dicitur adhuc dies est, set in fine dicit *adhuc dies est* ad signandum quod quilibet debet quamlibet horam reputare esse ultimam. Subito interficiuntur quandoque homines Parisius, et perditur anima cum corpore. Miror quod aliquis audet uiuere in statu aliquo in quo non auderet mori. Propter hoc dicitur in euangelio: *Estote parati: quia hora qua non putatis Filius hominis ueniet.* Debet igitur nos confortare ad pugnandum contra dyabolum et peccata

⁵ dicit] decet

⁶ in] written twice

⁷ Jerobel = Zorobabel

oportunitas temporis.

15 Secundo debet nos confortare bonitas principis siue capitis.[dicet] Debent animari primi milites ad pugnandum quando habent bonum principem. Vnde Crisostomus: “Non debet timere hostem fortem qui habet principem fortiolem.” Et Dominus est princeps exercitus Christiani, unde dicit in Deut.: *Nolite timere, neque paueatis: dux tuus sum qui non derelinquet te. Confortare, et esto robustus.* Et Iosue in agro Ierico dixit: *Video uirum stantem, et tenentem gladium⁸ euaginatam, et dixit: ‘Noster es, an aduersariorum?’ Et dixit ille: ‘Nequaquam: set sum princeps exercitus Domini.’* Vir iste est⁹ Christus, Ysa.: *Vocabitur¹⁰ nomen eius <Princeps>.* Christus princeps est exercitus Christianorum, et a ‘Christo’ dicimur Christiani. Gladius euaginatus est sententia iudicis, unde in Apoc.: *Pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Aliquando habet Dominus gladium in ore per sentencie promulgationem, aliquando in manu per sentencie promulgate executionem. Si |200va| rex haberet gladium euaginatam in manu, et diceret alicui: “Statim interficiam te, nisi conuertas faciem tuam ad me,” stultus esset ille si deferret faciem suam conuertere ad regem. Et Dominus dicit: *Ipsi uerterunt michi dorsum.* Loquitur de peccatoribus. Peccatum enim est, spreto bono incommutabili, bono commutabili adherere. Sententia lata est: *Quacumque die comederitis, id est peccatum feceritis, morte moriemini. Ne tardes igitur conuerti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito ueniet ira illius, et in tempore uindictae disperdet te.* Princeps exercitus nostri est Christus, et sicut in pugna corporali exercitus semper recurrit ad regem, ita si habes temptationes carnis, uel si inferantur tibi iniurie, semper debes recurrere ad Christum, Ps.: *Leuaui oculos meos in mon<tes> ad Deum, unde ueni<et> auxilium michi. Ad te, Domine, leuaui oculos meos, qui habitas in celis.* Et si non recurris ad Dominum in temptatione et in tribulatione, es proditor. Si feudarius haberet castrum sue custodie deputatum, et aliqui impugnarent castrum, posset recurrere ad dominum castri, qui ipsum uellet iuuare. Si castrum redderet et ad dominum non recurreret, proditor esset. Omnes sumus feudarii summi regis; habemus castrum, id est cor, nostre custodie deputatum, unde in Ecclesiastico: *Omni custodia serua cor tuum.* Debemus in temptatione ad Christum recurrere et omnes sanctos inuocare. Vnde <mos> inoleuit <in> Ecclesia omnes orationes canonicas a diuino adiutorio incipere, dicens in principio: *Deus, in adiutorium meum intende.* Et Dauid in psalmo ostendit quod diuinum adiutorium <inuocare> debemus, dicens: *Domine, inimici mei uiuunt, et confirmati sunt super me: et |200vb| multiplicati sunt qui oderunt me inique. Qui retribuebant mala pro bonis¹¹ etc. Ne derelinquas me, Domine Deus meus etc. Intende in adiutorium meum etc.* Siquis consideret bene auctoritatem, inueniet quomodo describit inimicos suos, allegat Dei misericordiam, et remouet ex parte Dei excusacionem.

16 Posset dicere Dominus: “Verum est Dauid quod habes inimicos, set sunt mortales.” Propter hoc dicit: inimici mei uiuunt. Non dicit quod uiuunt hodie uel cras, quia hoc scit quilibet quod inimici sui uiuunt, set uult dicere quod sunt immortales quamdiu uiuet. Inimici sunt caro, mundus et demones. Quamdiu uiuis caro tua uiuit, mundus durat tibi semper quamdiu uiuis, et demones sunt

⁸ gladium| glandium written and n expunged

⁹ est| written twice

¹⁰ Vocabitur| uir

¹¹ mala pro bonis| bona pro malis written, but I wrote according to the Vulg.

immortales.

17 Posset dicere Dominus: “Verum est quod inimi<ci> tui uiuunt, set tu es potentior.” Propter hoc dicit: *Confirmati sunt supra me. Non est potestas super terram que eis ualeat compari.*

18 Posset dicere Dominus: “Si sunt immortales et potentes, fugias eos.” Propter hoc dicit: *Multiplicati sunt qui oderunt me inique.* Vbique sunt diffusi. Quomodo potest homo fugere carnem? Si uadit ultra mare, portat secum carnem suam. Non potest homo peiorem inimicum habere quam carnem. Mundus ubique est. Per omnes iuncturas intrat mundus, multiplicatus est mundus, et demones sunt mecum.

19 Posset dicere Dominus: “Verum est quod inimici tui sunt immortales, potentes, et multi, habeas igitur pacem cum eis.” Dicit quod non potest. *Qui retribuebant, inquit, mala pro bonis detrahebant michi, quoniam sequebar bonitatem.* Quanto magis |201ra| facis uoluntatem dyaboli, tanto crudelior est. Quanto magis facis uoluntatem carnis, tanto magis inpugnat te. Dicit: *Qui oderunt me inique:* ex iniquitate inpugnat me. Dicit aliquis: “Quomodo facerem aliquid carni mee nisi bonum? Non dabo ei disciplinam nec faciam eam bibere aquam.” Tanto magis inpugnat eum caro. Aliquis facit omnia que facit pro mundo, disputat <et> legit; totum euanescit, reddit ei mundus mala pro bonis. Propter hoc dicit: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus. Intende in adiutorium meum.*

20 Tercio debet confortare militem in bello debilitatio hostis. Quantumcumque fortes sint inimici nostri per naturam, tamen per eorum culpam, per Christi gratiam, et per sanctorum uictoriam debilitati sunt. Virgines et martires uictoriam habuerunt de mundo et de dyabolo. Dyabolus habuit primo duplicem manum, scilicet manum attrahentem et manum inpellentem. Per Christi passionem manus dyaboli attrahens fuit amputata, quia modo nullum potest trahere ad infernum nisi propter peccatum suum. Manus inpellens est debilitata, quia non potest modo <trahere ad infernum> dyabolus nisi quantum das ei. Gregorius: “Debilis est hostis, qui non potest uincere nisi uolentem.” Vnde dicit: *Incuruare, ut transeamus.* Non potest dyabolus transire per te, nisi per consensum mortalis peccati. In Iosue dicitur quando Iosue acceperat reges, dixit principibus: *Ponite¹² pedes uostros super colla regum;* et: *Nolite timere, et ne paueatis, confortamini uiriliter.* Sic enim faciet Dominus omnibus inimicis nostris. Reges isti sunt caro in luxuriosis, mundus in auaris, et dyabolus in superbis. Istos reges debemus conculcare, et |201rb| pedes nostros super colla eorum ponere, et Dominus confortabit nos. Et in libro Iudicum dicitur: *Postquam confortatus est Israel, subiugauit eos, et fecit eos sibi tributarios.* Loquitur de Amoreis septem per quos significantur septem peccata mortalia. Peccata fiunt tributaria quando homo dimittit peccata, quia sunt occasio boni non data set accepta, quia *ubi habundauit culpa, <super>habundat et gracia.* Et super illud ad Romanos, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, dicit Glossa, “eciam peccata mortalia,” quia efficitur homo quandoque humilior quando considerat peccata que fecit. Debemus igitur confortari in bello spirituali, quia scribitur: *Dominus mecum, <quasi> bellator fortis; ideo qui persequuntur me cadent.* Bernardus: “O felix pro Christo et cum Christo pugna! In hac nec uulneratus, nec prostratus, nec si millesies occisus fueris, numquam fraudaberis a uictoria, tantum¹³ ne fugias.”

¹² Poniti] positi, I wrote with the Vulgate

¹³ tantum] tamen

21 Quarto debet nos confortare <parentum exemplum> in ista pugna, quando reducimus ad memoriam probitates patrum precedencium. “Memores estote quomodo salui facti sunt patres nostri.” Exempla sanctorum debent nos multum confortare. Dicitur in libro Machabeorum quod *ostenderunt elephantis sanguinem uue et mori ut ipsos acuerent in prelio*. Sanguis uue est sanguis Christi, qui fuit uua in torculari crucis expressa. Debet confortari miles quando uidet regem in capite belli uulneratum pro ipso. Pugiles induuntur ueste rubea, ne participant sanguinem suum, et ut animentur ad pugnandum. Sanguis mori est passio Christi, quam debemus reducere ad memoriam. Morus habet triplicem colorem. Habet alborem per quod signatur mundicia in uirginibus. Habet eciam colorem nigrum, unde [201va] significat mortificationem carnis in confessoribus. Habet eciam colorem rubeum, unde significat feruorem caritatis et effusionem sanguinis in apostolis et martiribus. Ista <exempla sanctorum> ostenduntur in festo omnium sanctorum, scilicet feruor caritatis, effusio sanguinis, mortificatio carnis, et munditia. Et ista debent nos confortare, unde dicit Mathathias libro Machabeorum: *Confortamini filii, et uiriliter agite*; sequitur: *et habebitis gloriam magnam*, et reducit ad memoriam Abraham, Ioseph et Phinees ut nos exemplo eorum confortemur. Ps.: *Viriliter agite, et confortetur cor uestrum, omnes qui speratis in Domino*.

22 Quinto debet nos confortare societas commilitonum. Habemus bonos commilitones, scilicet angelos bonos, Ps.: *Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te*. Item habemus in auxilium omnes sanctos, Ysa.: *Leua in circuitu oculos tuos, et uide; omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi*. Ysa.: *Vnusquisque proximo suo auxiliabitur, et fratri suo dicit: ‘Confortare.’* Bernardus: “Quid trepidas, quem fratrum a<r> matorum unanimitas circummunit, <cui> angeli assistunt a latere, ipse dux belli preibit, dicens: *Confidite, quia ego uici mundum?*”

23 Sexto debet <nos> [homo] confortare uitacio confusionis, scilicet ne homo reducatur in seruitutem dyaboli per peccatum. Exemplum habemus in libro Regum, ubi dicitur: *Confortamini, et estote uiri, Philistei, ne seruiamus Hebreis*. Per peccatum homo efficitur seruus peccati. Et peccatum nichil est. Ergo qui facit peccatum minus quam nichil est, in quantum huius: *Melius illi esset, si natus non fuisset*.

24 Septimo debet nos confortare consideratio mercedis, unde in libro Paralipomenon: *Confortamini, et non dissoluantur manus, quia est merces operi*. Rogabimus Dominum etc.

COLLATIO

Confortamini in Domino etc.

25 Sicut dicebatur in uerbis propositis, hortatur [201vb] nos Apostolus ad confortacionis actum, ibi: *Confortamini*; secundo ostendit confortacionis obiectum, ibi: *in Domino* etc. De primo, est exequutum, et posita sunt septem que debent nos confortare in bello spirituali, sicut septem confortant in bello corporali.

26 Secundo ponit confortacionis obiectum cum dicit: *Confortamini in Domino*. Verum dicit, set parum dicit. Salua reuerentencia sua si dixisset “in Domino solo,” tunc satis dixisset. In solo Domino confortari debemus. Debilis et infirmus innitendo rei fluenti non potest confortari, set fluit et transit cum re transitoria. Quicquid est

preter Deum, transitorium est et fluidum, quia *transit mundus, et concupiscentia eius*. Ergo innitendo ei, impossibile est [te] consolari. Simile est de illo qui innititur mundo, sicut de illo qui innititur baculo arundineo.¹⁴ Si infirmus inniteretur baculo arundineo, quando crederet bene esse ap<p>odiat, frangeretur baculus et tunc ille caderet. Videbitis aliquem in prelacione: uidetur ei quod optime sit appodiat, est dicior <et> est maior clericus quam alii, et subito totaliter deficiet, quia: “Qui labanti innititur, necesse est quod cum labacione cadit.” Set qui in Deo confidit, impossibile est quod cadat, Ps.: *Qui confidit in Domino, sicut mons Syon: non commouebitur* etc. Set qui confidit in diuiciis corruiet. Debemus igitur confortari in *Domino et in potentia uirtutis eius*, id est in Domino potente et uirtuoso.

27 Et uidete quod aliqui confortantur in mundi uanitate, sicut superbi; alii in terrenarum congregatione, sicut auari; alii in carnalium uoluptate, sicut gulosi et luxuriosi; alii in aliorum oppressione, sicut inuidi; alii in Dei potentia et uirtute, sicut boni.

28 Primo dico: confortantur aliqui in mundi uanitate, sicut superbi, unde Matthatias: |202ra| *Et nunc confortata est superbia et castigacio, et tempus euersionis, et ira indignacionis*, scilicet ad castigandum et subuertendum bonos. Euersio est quando illud quod deberet esse deorsum est supra, et e contrario. Hoc detestatur, Salomon in Ecclesiaste dicens: *Vidi seruos in equis, et principes quasi seruos ambulantes super terram*. Dicit: *confortata est superbia*. Set est momentanea ista confortacio, quia cito deficiet quando ueniet iudicium, *et tunc stabunt iusti in magna constancia aduersus eos qui eos angustiauerint*. Set nunc exaltantur et confortantur mali, non in futuro, ideo non sunt timendi, unde in libro Machabeorum: *A uerbis uiri peccatoris ne timeris, <quia> gloria eius quasi uermis et stercus. Hodie extollitur, et cras non erit, quia conuersus est in terram suam*. Et alibi: *Quid superbis terra et cinis?* Ps.: *Inimici Domini mox ut exaltati et sublimati fuerint, deficientes quemadmodum fumus deficient*.

29 Secundo confortantur aliqui in terrenorum congregacione, unde Iere.: *Confortati sunt in terra, et de malo ad malum egressi sunt, et me non cognouerunt, dicit Dominus – de malo, scilicet culpe, ad malum, scilicet pene, egressi sunt*. In Luca habemus exemplum huius: *Dixit diues quidam: Anima mea, multa bona <posita> habes in annos plurimos; requiesce, com[m]ede, bibe, epulare*. Et dictum est ei: *Stulte, <h>ac nocte repetent animam¹⁵ tuam a te. Tu autem que congregasti, cuius erunt?* Dicit: *animam tuam repetent*. Homo repetit quod suum est, et anima auari est quodammodo diaboli per usurpacionem et uendicionem quandam, unde in Eccli.: *Nichil iniquius quam amare pecuniam*. Qui amat pecuniam, *animam suam uenalem* |202rb| *habet, <quoniam> proiecit in uita intima sua*. Vel *repetent*, id est petent per culpam, et repetent per penam. De ista confortacione ammirabatur Iob, et opponebat quasi Domino, dicens: *Quare impii uiuunt, subleuati <sunt> confortatique diuiciis? Semen eorum coram eis manet. Domus eorum pacate sunt; uirga Domini non est super eos. Bos eorum non abortiuit*.¹⁶ Sequitur: *Tenent tympanum et cytharam; gaudent ad sonitum organi. Et in puncto ad inferna descendunt*, quasi dicat: Quare hoc est prosperantur in temporalibus, puniantur ut in eternis? Vix est aliquis malus qui non fecerit aliquid boni, et econtra, non est aliquis bonus qui non fernerit aliquid mali. Et Glossa dicit: “Nullum malum inpunitum et

¹⁴ arundineo = harundineo

¹⁵ animam] eius written after and expunged

¹⁶ abortiuit] hortiuit, I wrote with the Vulgate

nullum bonum irremuneratum.” Ideo boni in presenti puniuntur pro malo quod fecerunt, et in futuro remunerabuntur de bono. Econtra mali hic remunerantur de bono quod fecerunt, et puniuntur in futuro de malo. Vnde in euangelio: *Fili[i], recordare quod receperisti bona in uita tua; Lazarus autem mala: ideo nunc consolatur, tu autem cruciaris. Scitis quid est? In nundinis sunt duo genera mercatorum. Quidam uendunt paruas merces, ut allecia, caseum et huiusmodi; alii sunt magni mercatores qui uendunt magnas merces. Paruis mercatoribus soluitur statim ad unguem; magnis non statim, set in fine nundinarum soluitur habundanter, ita quod aliqui diuites sunt omnibus diebus uite sue. Ita mali sunt <sicut> parui mercatores, fecerunt aliqua bona et debetur eis remuneracio, non de condigno set de congruo, et ideo statim in presenti remunerantur. Et ideo dicitur eis: “Receperistis |202va| mercedem uestram,” quia non debet bis solui pro eodem. Set boni remunerabuntur in futuro sicut magni mercatores.*

30 Alii confortantur in carnalium uoluptate, sicut gulosi et luxuriosi, unde Iere.: *Preuaricationes multiplicatae sunt, confortati sunt in auersione eorum. Mecati sunt. Equi amatores in feminas; unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.*¹⁷ Mali sacerdotes confortant alios in peccatis. Dicunt subditi: “Si hoc esset tantum peccatum, sacerdos non faceret illud,” et parum ualet predicacio aliorum. Vnde Iere.: *In prophetis Ierusalem uidi similitudinem adulterii, <et> iter mendacii; confortabant opus pessimorum, ut unusquisque a malicia sua non conuerteretur – confortabant opus pessimorum, id est hereticorum.* Per exemplum malorum prelatorum decipiunt heretici maxime subditos. Dicunt: “Credis tu quod Deus sit ita fatuus quod ponat se in manus illius ribaldi”? Plus ualet in¹⁸ consecucione bonus laicus quam malus sacerdos.

31 Alii confortantur in aliorum persecucione, ut inuidi, Ps.: *Eripe me, Domine, de inimicis meis, et ab insurgentibus in me libera me. Confortati <sunt> qui persequuti sunt me, inimici mei; que non rapui tunc exsoluebam.*

32 Debemus autem confortari in Domino et in potentia uirtutis eius, sicut boni, quia ipse est propugnator in conflictu uiciorum, adiutor in progressu bonorum operum, confirmator in agressu arduorum, susceptor in occursu periculorum, restitutor perditorum, et consolator in sustinencia aduersorum.

33 Primo dico: debemus confortari in Domino, quia ipse est propugnator in conflictu uiciorum. Qui est in continuo conflictu indiget |202vb| confortari. Nos sumus in continuo conflictu, quia *non est nobis colluctacio aduersus*¹⁹ *carnem et sanguinem*, scilicet tantum, *set aduersus principes et potestates mundi* etc. Describit hic mirabiliter hostes nostros a septem condicionibus quare supra modum sunt timendi.

34 Primo <describuntur> a uersutia et calliditate, cum dicit in epistola: *Vt possitis stare aduersus [in] insidias diaboli.* Insidiatur in occulto, etiam in latibulis paupertatis, et passionis Christi, et consideracionis proprie infirmitatis, quod significatur in libro Regum, ubi dixit Saul: *Considera de me, quod callide*²⁰ *ego insidier ei, scilicet Dauid.*

35 Secundo describuntur a continua impugnacione et improbitate, cum dicit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem, scilicet tantum, eo quod continua est*

¹⁷ hinniebat] inhiebat

¹⁸ in] written twice

¹⁹ aduersus] written twice

²⁰ callide] 9allide

lucta significatur improbitas, quod significatur de Aman, qui interpretatur iniquitas. Dixit Assuerus: *Eciam reginam uult coram me opprimere in lecto*, id est animam in contemplacione sese regentem.

36 Tercio describuntur a multitudine, cum dicit: *set aduersus principes et potestates mundi*. Ps.: *Obsederunt*²¹ *in gyro tabernaculum meum*.

37 Quarto describuntur a potencia et auctoritate, cum dicit: *rectores tenebrarum*. *Eratis aliquando tenebre; nunc autem lux in Domino*.

38 Quinto describuntur a subtilitate, cum dicit: *contra spiritalia*. Inimicus inuisibilis ualde est nociuus.

39 Sexto <describuntur> a nequicia et crudelitate, cum dicit: *nequicie*.

40 Septimo describuntur quod sunt nobis timendi a rei pro qua agitur preciositate,²² cum dicit: *in celestibus*, id est pro celestibus. Sumus in continuo conflictu, ideo confortari debemus in Domino, unde in Iosue: *Confortamini et estote solliciti, ut custodiat omnia que precepta sunt* [203ra] *uobis, et adhereatis Domino Deo uestro; nullus uobis resistere poterit: <quia> Dominus Deus uester pugnat pro uobis*; Ps.: *Qui habitat in adiutorio Altissimi non commouebitur etc.*

41 Secundo debemus confortari in Domino, quia ipse est adiutor in progressu bonorum operum. Qui infirmus est et debilis indiget aliquo in quo possit confortari. Et Dominus dicit: *Sine me nichil potestis facere*; Ysa.: *Omnia opera nostra operatus est in nobis*. Debemus igitur confortari in Domino; unde in libro Paralipomenon: *Confortamini et estote diligentes, et Dominus erit uobiscum in bonis*, scilicet que per²³ uos facere non potestis. Dicit: *uobiscum*. Si sum cum illo, ille est mecum. Ita si Dominus est nobiscum, et nos sumus cum eo, quia requirit Dominus liberum arbitrum et liberi arbitrii usum. "Dominus dat bouem, set non per cornua." Dicitur alicui quod bonum esset quod intraret religionem et mundaret suam conscientiam, et ille respondet: "Libenter intrarem religionem si Dominus daret michi uoluntatem." Et Dominus ita dedit tibi in potestate tua uoluntatem tuam, quod nichil ita habes in tua potestate sicut uelle. Si es insufficiens, Dominus supplebit. Vult Dominus quod aliquid apponas de tuo <libero arbitro>. De talibus qui sic excusant se conqueritur Dominus, dicens in Osee: *Erudiui eos, et confortauimus brachia eorum, et ipsi cogitauerunt contra me maliciam*, scilicet quando mendaciter se excusant. Dominus igitur est adiutor in progressu bonorum operum.

42 Dicitur de Iohanne Baptista: *Puer crescebat, et confortabatur <in> spiritu: et morabatur in deserto usque ad diem ostensionis sue in Israel*. Hoc quod dicit spiritu potest ad omnia referri, ut dicatur puer spiritu, id est spiritualis et mundus, uel crescebat spiritu uel confortabatur spiritu. [203rb] Spiritus sanctus non est in immundo, et ideo non confortatur a Domino, quia *Spiritus sanctus discipline effugiet fictum*. Oportet prius purificare conscientiam antequam confortetur spiritu. Nocet quandoque scientia sine bona uita. Sicut in sole athomus uidetur, sic in conscientia pura uidentur peccata minora, unde in Prou.: *Ex studiis suis cognoscitur puer, si munda et recta sunt opera eius*. Intelligitur, id est intus legere potes. Set aliqui habent libros conscientiarum ita deturpatis et sunt littere ita tetre, quod in confessione sua nesciunt ubi debeant incipere: *Obscuratum est insipiens cor eorum*. Set puer mundus

²¹ Obsederunt] obsiderunt, I wrote with the Vulgate

²² I am not certain what this sentence means, nor how it should be translated

²³ que] per written before in quotations marks ""

clare uidet in consciencia sua.

43 Tercio debemus confortari in Domino, quia ipse est confirmator in aggressu arduorum. Pusillanimis indiget confortatione qui uult ardua aggredi. Indiget in Domino confortari, quia tunc Dominus perficiet qui incepit, Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Dicitur de Iudith: *Tu gloria Ierusalem, leticia Israel, honorificencia populi nostri: quia egisti uiriliter, et confortatum est cor tuum. Et ideo manus Domini confortauit te, et eris benedicta in eternum*. Inter alia fecit tria uirilia: capud Holoferni principis milicie regis Assiriorum abs<c>idit, euoluit corpus quasi stercus, et conopeum abstulit. Holofernes interpretatur infirmans uitulum saginatum, et significat diabolum qui hominem sanctum donis et uirtutibus Dei inpinguatum non cessat²⁴ impugnare. Caput dyaboli est suggestio mala, corpus dyaboli est congeries operum malorum, pedes sunt male affectiones, manus male operationes, renes male delectationes, cor malus consensus, |203va| labia eius sunt male locuciones, aures mali auditus, oculi eius sunt impudici aspectus, nares odoratus illiciti. Debemus dyabolo temptanti resistere, et capud eius, id est congeriem malorum operum, gladio, id est consideratione diuini iudicii, abs<c>idere. *Euoluit corpus quasi stercus*. Et nos omnem congeriem peccatorum debemus remouere. *Conopeum abstulit*. Conopeum est retiaculum subtile supra lectum et capiebat muscas, et dicitur conopeum quasi “petens conum”. Conopeum dyaboli est uanitas mundi. Est aliquis canonicus, uult esse dyaconus, postea uult esse episcopus, postea archiepiscopus, postea uellet esse cardinalis, tandem, si posset, uellet esse papa! Aranea facit telam de intimis suis. Et quis est fructus eius? Certe ut muscam capiat. Et cum habet muscam, comedit eam. Certe pulcher est. Sic facit aliquis multa in mundo. Totum est conopeum, quia facit ut capiat prebendam. Paruum est quod pro Deo facit: dat unam pictam pro Deo <et> credit multum fecisse. Totum est conopeum. Pro mundo totum facit, quia dicitur magnus et liberalis est. Debemus conopeum, id est uanam gloriam, destruere.

44 Quarto debemus confortari in Domino, quia ipse est susceptor in occurso periculorum. Si homo extendat ei manum, facit Dominus quod in se est, unde dicit Dominus: *Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego sum Dominus Deus tuus; confortauit te, et auxiliatus sum tibi*,²⁵ et suscepit te dextera Iusti mei, id est Christi. Loquitur quasi homo qui extendat manum alii in periculo submersionis. Sequitur: *Cum transieris per aquam, tecum ero, et flumina non operient te*. Manus Dei est Filius |203vb| Dei. Fuimus primo in periculo submersionis et dampnationis, et ideo extendit Deus manum suam, id est Filium, Ps.: *E<mitte> manum tuam de alto, et eripe me, et libera me <de aquis multis>* etc. Et ut nos appodiaret, uoluit manus Filii clauis transfigi et latus perforari, ut facilius possemus consurgere. Mirabile est de multis. Qui esset in periculo submersionis haberet amicum in ripa, non restaret nisi quod manum extenderet et amicus suus eum liberaret. Fatuus esset si ei manum extendere non uellet. Non restat nisi quod extendamus Christo manus, et ipse liberabit nos. Iacob quando erat in persecucione fratris sui, recurrebat ad Dominum et luctatus est cum Domino in specie angeli. Dicitur ibi quod *inualuit <ad angelum>, et confortatus est; fleuit, et rogauit eum*. Apostolus ad Thimotheum: *Dominus michi astitit, et*

²⁴ cessat] cessant written and n expunged

²⁵ tibi] tui

confortauit me, ut per me impleatur predicatio: et liberauit me de ore leonis, id est diaboli, unde in canonica Petri: *Aduersarius uester <diabolus> tamquam leo rugiens*. Os leonis est auiditas dampnacionis. In isto ore masticatur peccator per suggestionem, in uentrem trahitur per consensum, magis incorporatur per consuetudinem, et in secessum emittitur per desperationem siue per dampnacionem. Set debemus confortari in Domino, quia ipse est susceptor in occurso periculorum. Vnde dicit Apostolus: *Dominus michi a<d>stitit, et confortauit me, ut per me impleatur predicacio*. Ps.: *Mittit cristallum suam sicut buccellas*. Dicit Glossa: "*Cristallum mittit sicut buccellas, quia eciam obstinatos facit aliorum doctores*." Debemus igitur confortari in Domino. Rogabimus Dominum et cetera.

<SERMO 22>¹
<Dominica uicesima tertia post Trinitatem>
Post xxiii fratris Will<elm>i de Lusci²

Si iniquitates³ obseruaueris, Domine, Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est.

1 *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et eleuatum, et plena erat domus maiestate eius, et ea que sub ipso erant replebant templum.*⁴ Verba ultima sunt in Ysaia <et> nocte repetebantur in Matutinis. Et expresse fit hic mencio de tribus, scilicet de solio, domo et templo.

2 Beata Virgo solium est Dei Patris, Ysa.: *Super solium David,*⁵ *et super regnum eius sedebit, ut confirmet et cor<r>oboret istud; Iere.: Solii glorie tue ne facias <nobis> contumeliam: recordare.*⁶

3 Item est domus Filii templum inhabitando. Quia inhabitauit eam Dei Filius corporaliter, fuit domus Filii non solum specialiter set etiam singulariter, unde in Prou.: *Sapientia edificauit sibi domum.*

4 Item est templum Spiritus sancti ipsum pre aliis sanctificando. Iere.: *Templum suum, templum tuum,* Glossa, "in quo est fides uera, conuersacio sancta et omnium uirtutum c<h>orus." Ad ipsam debemus recur|233va|rere in omnibus necessitatibus nostris, et specialiter in oracione, Ps.: *Adorabo ad templum sanctum tuum, et con<fitebor> nomini tuo.* In principio⁷ igitur sermonis rogemus ipsum etc.

Si iniquitates⁸ etc.

5 Verba ista scripta sunt in psalmo, et recitantur in principio misse hodiernae, in quibus mater nostra Ecclesia duo facit: primo, incutit nobis timorem ex consideratione proprie iniquitatis, ibi: *Si iniquitates⁹ obseruaueris, Domine* etc.; secundo, eleuat nobis spem ex consideratione diuine propitiacionis, ibi: *Quia apud te propitiatio est.* Si peccatores sumus, timere debemus, set non debemus desperare, *quia apud te propitiatio est.*

6 Et uidete quod incutit nobis timorem quadruplici consideratione. Videamus ista manifesta manuductione. Qui offendisset potentem, sicut regiam maiestatem, et rex offensus faceret eum obseruari per totum regnum suum, et tantum esset dominium regis offensi quod ille eius offensa nullomodo effugere posset, et tanta esset offensa cui deberetur maxima pena, scilicet quod deberet patibulo affligi et perpetuo carceri intrudi, ei deberet incuti maximus timor. Peccator per iniquitatem diuinam maiestatem offendit, et Deus facit obseruari peccatorem per omnes semitas

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Oxford, Merton College 237, ff. 233rb-235ra; J. B. SCHNEIDER, *Repertorium*, v. 2, p. 479, n. 29; TH. KÄEPPPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 114, n. 1563.

² Rubric is written in another hand

³ iniquitates] iniquitatis, written and the fourth i expunged and an e is written above the line MS

⁴ templum] written and expunged, and terram added in the margin, but I have kept templum with the Vulg.

⁵ David] dauit

⁶ Ne – recordare] solii glorie tue recordare ne facias <nobis> contumeliam

⁷ principio] principia

⁸ iniquitates] iniquitatis written and fourth i expunged, and an e is written above the line

⁹ iniquitates] iniquitatis

affectionum, cogitationum et locucionum et actionum ad uindictam. *Obseruasti*, inquit Iob, *omnes semitas meas et uestigia pedum meorum considerasti*. Dominium Dei tantum est quod impossibile est ipsum effugere hic, ultra in Hispania, in uia in infernum. Dominium regis Francie non est ubique, nisi in regno suo. Vnde si offendissem regem Francie, non timerem ipsum in Theutonia. Set dominium Dei est ubique, Ps.: *Si assendero in celum, tu illuc es; si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas*¹⁰ *m<cas> dilu<culo>*, et *ha<bitauero> in extremis maris*. Et enim illuc manus t<ua> de<ducat> me, et te<nebit> me dextera tua. Delictum unum¹¹ tanta est offensa, quod infinita debetur ei pena. Tanta est offensa, quantus est ille qui offenditur. Ideo si ille qui offenditur infinitus, ergo pena erit infinita, non ascerbitate set duracione.

7 Quadrupliciter igitur incutit nobis Psalmista, id est timorem. Primo ex consideracione proprie iniquitatis,¹² cum dicit: *Si iniquitates*. Secundo ex consideracione obseruancie diligentis, cum dicit: *obseruaueris*, Glossa, |233vb| "ad uindictam." Tercio ex consideracione domini uniuersalis, cum dicit: *Domine, Domine*. Scribitur: "Dominus uniuersorum tu es." Quarto ex consideracione pene intollerabilis, cum dicit: quis sustinebit? Postea eleuet spem, cum dicit: *Quia apud te propitiatio est*.

8 Primo dico: Psalmista incutit nobis timorem ex consideracione proprie iniquitatis, cum dicit: *Si iniquitates*¹³ *obseruaueris, Domine*. In Scripturis inueniuntur sex rationes quare iniquitas sustineri non debet corporaliter uel uix sustineri potest, nec etiam spiritualiter. Primo, quia est diuine magestatis offensiua; secundo, quia est omnis uirtutis et fortitudinis eneruatiua; tercio, quia est grauis et ponderosa; quarto, quia est uilis et ignominiosa; quinto, quia est inutilis et dampnosa; sexto, quia est penalis et afflictua.

9 Primo dico: iniquitas sustineri non potest¹⁴ quia est diuine maiestatis offensiua. Qui offendisset regiam magestatem, quomodo posset sustinere? Set quando aliquis peccat per iniquitatem, Deum offendit. Igitur sibi timere debet. Dixit rex Manases: *Multiplyte sunt iniquitates mee! Excitauit iracundiam tuam, statuens abhominaciones et multiplicans offensiones*. Et parum <post> dicit: *Peccaui super multitudinem <h>arene maris*. Dicit: *statuens abhominaciones*, id est peccata abhominabilia; ideo eici debent. Dicit: *multiplyte sunt iniquitates mee*, scilicet iniquitates sunt et offense. Igitur addendo iniquitatem iniquitati addit homo offencionem, ita quod quandoque Dominus sustinere non potest, set uult hominem proici in infernum. Dicitur in Ezechiele: *Repleta est terra iniquitate, et conuersi sunt ad irritandum <me>*. Terra, id est Ecclesia, quia generacio preterit, generacio aduenit; terra in eternum stat, id est Ecclesia. Ista terra repleta est iniquitate, id est inequalitate. Ista iniquitas qua repleta est Ecclesia super alias Deum offendit, et est causa corrupcionis Ecclesie.

10 Vna est iniquitas, uel due, quarum una originatur ex alia. Vna est in promociōe malorum prelatorum. Alia in collacione beneficiorum, scilicet quando non secundum legem caritatis, set secundum legem consanguinitatis distribuuntur

¹⁰ pennas] penas

¹¹ Delictum unum] I have written, dilectissimi

¹² proprie iniquitatis] I have written, diuine magestatis

¹³ iniquitates] iniquitatis

¹⁴ non] debet written after and expunged, and potest added in the margin

beneficia. Ista iniquitate repleta est tota terra, id est Ecclesia, unde dicit Psalmista: *Vidi iniquitatem et contradictionem in ciuitate. Tota die circumdabit*¹⁵ <eam> *super muros eius iniquitas; |234ra| labor in medio eorum et iniusticia. Et non defecit de plateis eorum usura et dolus.* *Vidi iniquitatem et contradictionem*, id est iniquitate<m> ex qua originatur contradictio, *in ciuitate*, id est in Ecclesia. Illud aperte uidemus, quod in electionibus semper est¹⁶ contradictio et appellacio in omnibus, id est in malis, inferioribus, mediocribus. Et inferioribus dicit Propheta: *Super muros tuos constitui custodes*, scilicet maiores prelatos. Set timendum est, ne isti sint tales sicut custodes, quos posuerunt Zebuzei¹⁷ in odium Dauid.¹⁸ Et dicitur quod posuerunt cecos et claudos in odium Dauid. Ita uidetur quod mali prelati constituuntur hodie in Ecclesia Christi despectum, unde scribitur: *Speculatores tui ceci omnes. Labor in medio eorum et iniusticia*, scilicet in mediocribus. *Et non defecit de plateis eorum usura et dolus*, id est in mediocribus. Illud aperte uidemus, et est detestabile apud Deum, quia usurarios quos seculares abiciunt, clerici recipiunt in equalitatem. Dicit Micheas: *Vē qui edificant Syon in sanguinibus, et Ierusalem <in> iniquitate*. Et iniqua promociōe consanguinum eorum et iniqua distribuciōe beneficiorum Syon erat superior pars ciuitatis et Ierusalem inferior pars. Videte modum loquendi. Dicit: *ue qui edificant Syon in sanguinibus*, id est superiores¹⁹ dignitates conferunt suis nepotibus, *et Ierusalem in iniquitate*, id est minora beneficia conferunt inequalitate: melioribus dant minora beneficia. Racio huius ponitur in Zacharia, ubi dicitur: *Ponam*²⁰ *Ierusalem lapidem oneris in cunctis populis*. In lapide ponderoso experiuntur quandoque clerici uires suas. Qui est debilis proicit quandoque lapidem ponderosum ita prope se quod ledit se; non potest eum proicere longe a se. Ita faciunt prelati in collacione beneficiorum: lapidem magnum, id est magnam dignitatem, non a remotis proiciunt, set prope se, <id est> dant eam socio uel consanguineo, <et> parochiam unam, id est parum[que] lapidem, a remotis proici<un>t, <id est> illatam da<n>t bono et ydoneo. Ista iniquitas offensiua est maiestatis diuine. Dicitur in Prou.: *Spiritus ad irascendum facilem, quis sustinere poterit?* Dicitur: "Qui de facili irascitur, de facili placatur." Et similiter: "Qui de dif<f>icili²¹ placatur etc., Deus de difficili irascitur. Non dico quod <Deus> de dif<f>icili eciam |234rb| placatur. Irascitur autem pro peccato mortali.²² Exemplum habemus in Hester de Aman, qui interpretatur iniquitas. Quando iniquitas sua reuelata fuit et prodicio, *obstipuit, uultum regis et regine ferre non sustinen[te]s*. Quid igitur erit de peccatore quando iniquitas sua reuelabitur uniuersali Ecclesie, et regi celorum, et omnibus electis et reprobis?

11 Secundo iniquitas sustineri non²³ debet quia est omnis uirtutis et fortitudinis eneruatiua. Non potest magnum onus sustinere, qui eneruatus est uirtutibus.²⁴ Virtus sustinendi est caritas, quia *caritas omnia sustinet*, id est sustinere facit. Qui

¹⁵ circumdabit] circumdabant, I wrote with the Vulgate

¹⁶ est] written twice

¹⁷ Zebuzei = Iebusei

¹⁸ Dauid] omitted but restored in the margin

¹⁹ superiores] inferiores, but I have emended to superiores

²⁰ Ponam] pone, I have written with the Vulgate

²¹ dif<f>icili] defacili written but corrected by scribe to read difficili

²² mortali] et scribitur Spiritus ad irascendum facilem, quis sustinere poterit written after. It seems to be a scribal error, an unnecessary repetition of the biblical quotation from Proverbs 18:14 cited above

²³ non] potest written after and expunged

²⁴ uirtutibus] written, but perhaps it should read uitiis?

diligit proximum propter Deum ex caritate nichil est quod cum ipso non sustineret; omnes eius defectus bene sustineret. Quando membra unita sunt, tunc unum sustinet pondus alterius, unde dicit Apostolus ad Romanos: *Debemus nos firmiores inbecillitate*<s> *infirmorum sustinere. Omnia, inquit Apostolus, sustineo propter electos ut salutem consequantur.*

12 Item qui uere Deum diligit de facili cum Deo sustinet, unde in Ecclesiastico: *Sustine sustentationes Dei; coniungere Deo, et sustine ut in nouissimo crescat uita tua. Sustine sustentationes Dei*, id est tribulationes que sustinent animam, ne per superbiam euanescat. Et quomodo poterit sustinere? Coniungere Deo. Si es debilis, cum Deo totum sustinebis. Qui lignum ponderosum portare non potest, coniungit se giganti, et cum ipso bene portat.

13 Item non debes timere tribulationes. Scitis quid est quod Deo sis coniunctus? Quia Deus facit quod non grauant homines tribulationes. Scitis quid est de Deo? Ludit Deus de nobis sicut pater de filio. Pater filio ponit lignum ponderosum super collum et sustinet manu, tunc filius credit portare lignum, et gloriatur, et tamen nichil facit. Ita Deus ludit de nobis. Inmittit nobis tribulationes. Videtur nobis quod eas sustineamus, set saluo libero arbitrio, parum facimus. Ergo in caritate uirtus est sustinendi. Ergo <iniquitas> est eneruatua caritatis, id est eneruatua omnis uirtutis et fortitudinis. Prouero dicit Dominus in euangelio: *Abundabit iniquitas, et refrigescit caritas multi.* Non possunt sustinere tribulationem, immo ad primum motum consentiunt peccato. [234va] Propheta:²⁵ *Vbi ceciderunt qui operantur iniquitatem, impulsus sunt, et non poterunt stare.* Iere.: *Factus sum tanquam ignis <ex>estuans inclususque est in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens.*²⁶

14 Tertia ratio quare iniquitas sustineri non debet est quia est grauis et ponderosa. Nichil ponderosius est iniquitate, unde Ysa.: *Grauibit eam iniquitas eius, et corruiet, et non adiiciet ut resurgat, scilicet per se, quia homo est spiritus uadens per se, et non reuertens uel rediens, scilicet per se.* Ps.: *Iniquitates mee supergresse sunt caput meum, et [cetera] sicut onus graue grauatae sunt super me.* Ita graue est honus peccati, quod firmamentum non potuit sustinere. Et Christus cum magno honore sustinuit peccatum in passione. Quod graue sit honus peccati hoc patet. Illud est graue quod rem leuissimam uehementissime et in uelocissimo tempore facit a supremo loco cadere in infimum locum. Angelus res est leuissima, supremus locus est celum empyreum, infimus locus est infernus, tempus uelocissimum est momentum. Set peccatum fecit angelum, qui est res leuissima, in momento de celo cadere in infernum, scilicet in momento quando consentit peccato, unde in Mt.: *Vidi Sathanan quasi fulgur de celo des<c>endentem.* Anima peccatoris in tempore quo faceres punctum ruet in infernum, unde Iob: *Gaudet ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna des<c>endunt.*

15 Set quomodo est quod homines peccatores uidentur sibi leues,²⁷ cum tantum sunt²⁸ ponderosi? Racio est res ponderosa non ponderat in aqua. Mille homines non mouerent nauem extra aquam, quam modicus uentus portat in aqua. Ita qui sunt in deliciis carnalibus non sentiunt pondus peccati. Set quando sunt extra aquam, post

²⁵ Propheta] probably a scribal error for Psalmista

²⁶ sustinens] festinens written and corrected to sustinens

²⁷ leues] leuos written and corrected to leues

²⁸ sunt] I wrote, sicut MS

mortem, in momento etiam pondere peccati precipitantur in infernum. Propter hoc debemus facere consilium Apostoli, qui dicit: *Deponentes omne pondus et circumstans peccatum, curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Ihesum, qui proposito sibi, scilicet gaudio sustinuit crucem*. Et Propheta dicit: *Proicite a uobis omnes preuaricationes uestras. Agite penitenciam de omnibus iniquitatibus uestris, et non erit uobis in ruinam* |234vb| *iniquitas uestra*. Proicite, id est a uobis eicite. Dicit: *et non erit uobis iniquitas in ruinam*. Hoc dicit quia una iniquitas facit ruere in aliam. Vnde Gregorius: "Peccatum quod per penitenciam non diluitur,²⁹ mox suo pondere ad aliud trahit." De uno peccato faciunt aliqui multa. Incurrunt sententiam excommunicationis, et unus excommunicatus non procurat absolucionem suam per duos menses uel per dimidium annum; ingerit se diuinis, audit missas, intrat ecclesiam ad orandum, <et ita> de uno peccato facit plura.

16 Igitur proicite a uobis omnes preuaricationes uestras. Dices: "Non possum proicere."⁸ Certe immo! Et quomodo? *Aspiciendo in actorem fidei*, id est in Christum. Christus enim sustinuit crucem, et inclinato capite, portauit honus peccatorum. Qui uult portare onus inclinat caput. Ita Christus in cruce inclinauit caput quando peccata nostra tulit, sicut dicit beatus Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit super lignum*, Glossa, "super lignum crucis." Petrus, qui hoc dixit, ipse peccauit, set postea penituit. Ita Christus parcat penam peccati illorum qui penitent, *aspicientes in actorem fidei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*. Vnde dicit Apostolus: *Recogitate eum qui talem apud semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem; ut non fatigemini, animis uestris deficientes*. Et alibi scribitur: *Vigilate in hac hora, et sustinete*.

17 Quarta ratio quare iniquitas sustineri non debet nec potest est quia est uilis et ignominiosa. Nichil ignominiosius est iniquitate, Ps.: *Cor<r>upti sunt, et abhominabiles facti sunt <in iniquitatibus>; non est qui faciat bonum; alia littera habet: in studiis suis*. Student aliqui quomodo possunt explorare iniquitatem, id est inequalitatem.

18 Iniquitas est preferre se superiori. Ista est superborum, de qua in Ecclesiastico: *Odibilis est coram Deo et*³⁰ *hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas*.

19 Alia iniquitas est auarorum. Preferre rem uilissimam, que nullius est ualoris, rei preciosissime est iniquitas magna. Ista est iniquitas auarorum, unde in Ecclesiastico: *Nichil iniquius quam amare pecuniam: animam suam uenalem habet*. Anima res preciosissima est, quam uult uendere pro minimo.

20 Item preferre carnem spiritui est iniquitas magna. Talis est iniquitas hominis luxuriosi. De ista iniquitate dixit Sara ad Habraham: *Inique agis contra* |235ra| *me*. Dixit spiritus ad carnem: *Dedi ansillam in sinu tuo*, id est dedi tibi potestatem ad nutriendum carnem <et> ad ansillandum, *que uidens quod concep<er>it, contemptui me habet*. Vnde in Deuteronomio: *Impinguatus, incrassatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*.

21 Ista triplici iniquitate omnis terra cor<r>upta est, unde in Gen.: *Omnis quippe caro cor<r>uperat uiam suam*. Antiquitus fuerunt diuersi status eundi in paradysum, qui modo omnes cor<r>upti sunt. Erat status coniungalis, uirginalis et uidualis, status prelatorum et clericorum, et status militaris. Qui spiritaliter uideret istos status diceret quod *omnis caro cor<r>uperat uiam suam*. Vix inuenies unum statum qui

²⁹ diluitur] deluitur written and corrected to diluitur

³⁰ et] in

non est cor<r>uptus. Quomodo cor<r>uptus sit status coniungalis et alii status uidere potestis, quando uia est cor<r>upta et lubrica, oportet caute incedere. Et dicitur: *Omnis quippe caro cor<r>uperat uiam suam*. Et in quibus est cor<r>upta uia? Dicit Ysaïas quod in omnibus, quia pauci³¹ sunt exclusi. *Ve*, inquit, *genti peccatrici*, propter peccandi consuetudinem, *populo graui iniquitati*, propter peccati magnitudinem, *semini nequam*, propter peccantium imitationem! *Dereliquerunt Dominum Deum, corde, blasphemauerunt Sanctum Israel, ore, <ab>alienati sunt retrorsum*, opere. Sequitur: *Omne caput languidum*, scilicet prelatorum, *et omne cor merens*, scilicet subditorum. *A planta pedis*, scilicet princip[i]um, *usque ad uerticem*, scilicet ad minores,³² *non est in eo sanitas*; *uulnus*, scilicet in profunditate luxurie, *et liuor*, in superficie auaricie, *et plaga tumens*, scilicet in superbia, *non est circumligata*, scilicet baptismali innocencia, *nec curata medicamine*, scilicet penitencie, *nec fota oleo*, pietatis et misericordie. Rogabimus Dominum etc

³¹ pauci] pausi

³² princip[i]um...minores] these two words should perhaps be transposed in order to make better sense of the exegesis

<SERMO 23>¹

<Sermo in festo assumptionis beate Marie uirginis>

Sermo in assumptione beate Mar<ie> fratris Guill<elm>i de Buscy

Mulier graciosa inueniet gloriam.

1 In uerbis propositis tanguntur tria ad commendacionem Virginis pertinencia, maxime in ista solempnitate, scilicet in Assumpcione.

2 Primum est condicio nature, <cum dicitur>: *Mulier*: non quasi mollita ab ero, set quasi molliens erum. De hoc alibi dicitur.

3 Secundum <est> plenitudo gracie, cum dicitur: graciosa. Nomina enim desinentia in -osus secundum grammaticum significant plenitudinem. In beata autem Virgine fuit triplex plenitudo gracie, scilicet sufficiencie, sicut uas plenum est liquore; et indeficiencie, sicut dicitur puteus² plenus aqua, quia non deficit; et plenitudo supereffluencie siue redundancie, sicut fons dicitur plenus aqua. Vnde angelus |253vb| dicit: *Aua, gracia plena*; et in Ecclesiastico ipsa comparatur fonti et puteo: *Fons <h>ortorum, puteus aquarum uiuentium*. Hic potes dicere quod doctrina dat gratiam, humanitas recipit etc., sicut alibi dicitur.

4 Tercium erit perfectio glorie, cum dicitur: *inueni<e>t gloriam*. Nota quod beata Virgo inuenit gratiam apud Deum secundum quod dicit angelus. Non solum gratiam, set etiam gloriam, unde: *Mulier graciosa inueniet gloriam*. Non solum gratiam et gloriam, set etiam illum in quo est omnis gracia et gloria, unde in Eccle.: *Inueni quem diligit anima mea*.

5 Notandum autem quod triplex est gloria, scilicet singularis, generalis et specialis.

6 <Prima gloria> singularis fuit, et est beate Virginis, ad quam eleuata est hodie super omnes sanctos et angelos, usque ad dexteram Filii, de qua in Ezechiele: *Eleuata est gloria Domini super cherub*. Et alibi: *Repleta est domus Domini gloria* – domus Domini beata Virgo. Ps.: *Tenuisti manum dexteram meam, et in uoluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me*. Exemplum de archa federis Domini, quam *deduxerunt Dauid et uniuersus Israel* etc. Exemplum etiam de Hester, de qua dicitur Hester vi secundum bibliam nostram, quod *ingressa cuncta ostia per ordinem stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus uestibus regiis. Ingressa cuncta per ordinem ostia[m]*, transiit enim ordinem uirginum, confessorum, martirum, et sic de aliis. Exemplum etiam de Bersabee,³ III Reg. ii.

7 Secunda gloria est specialis, que est specialiter aliquorum sanctorum, scilicet uirginum, predicatorum, martirum.

8 Tercia est generalis, que est omnium sanctorum, de qua Ps.: *Gloria hec est omnibus sanctis eius*. Et ut melius uideamus de gloria ei opposita, scilicet de gloria mundi, quia “opposita |254ra| iuxta se posita <magis elucescunt>” etc. Notandum

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 253va-254va; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 480, n. 37; TH. KAEPPPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 111, n. 1545.

² puteus] written twice

³ Bersabee = Bethsabee

ergo quod gloria <mundi> est parua, quia de paruīs, scilicet deliciis, diuiciis et honoribus temporalibus, que parua sunt respectu Dei, quia sicut *gutta roris antelucani, sic orbis terrarum coram illo*, id est omnes diuicie, delicie et honores mundi. Vnde Sapiens in Ecclesiaste: *Melior est stulticia, ad tempus <et> sapiencia parua*, quia <melior est> gloria stulticia, de qua dicit Apostolus: *Placuit <Deo> per stulticiam predicacionis saluos facere credentes*. Stulticia enim est secundum mundanorum reputacionem predicare paupertatem, uilitatem, abiectiōem et huiusmodi. Ista stulticia ad tempus melior est sapiencia ad tempus et parua gloria, id est gloria mundana. Ista autem gloria quia parua non potest replere cor hominis. Anima enim cum sit capax Dei, quia ymago nullo alio quam Deo potest repleri. Vnde dicit Augustinus: “Animam Dei capacem nichil aliud a Deo replere potest.” Nec mirum. Nichil enim potest replere uas nisi quod est in uase. Ista autem temporalia non sunt in anima, unde nec animam replere possunt, unde: *Auarus non implebitur pecunia*.

9 Narratur de Alexandro quod ipse conuocauit theophilos suos ut disputarent utrum esset unus mundus solum uel plures. Opinio enim aliquorum philosophorum fuit quod essent plures mundi, illis autem disputantibus nec ad cognicionem ueritatis peruenientibus. Ideo quidam dicebant quod non esset nisi unus mundus, alii quod plures. Ille Alexander magis adhesit opinioni quod plures essent mundi, et dixit militibus suis: “Viriliter agite, quia multum habemus facere, quia cum acquisierimus istum mundum, oportet acquirere secundum, et deinceps tertium.” |254rb| Pro tanto dico quod totus mundus non sufficit replere cor hominis. Gloria ergo mundi parua est.

10 E contrario gloria celi erit magna, quia de magnis, scilicet de Deo, unde Ps.: *Tu es gloria mea*; et in Ysa.: *Reuelabitur gloria Domini*. Modo est occultata, set postea reuelabitur. Et in eodem: *Affluetis ab omnimoda gloria eius*. Gloria mundi non potest esse omnimoda. Si enim homo est potens, forte non est sapiens; si est potens et sapiens, non est bonus uel forte est infirmus, unde non potest habere omnimodam gloriam. Set in futuro erit omnimoda gloria. Item Apostolus dicit: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur*.

11 Item gloria mundi breuis et modica,⁴ unde Ysa.: *Omnes caro fenum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fenum etc.* Vnde gloria mundi est quasi flos qui ad calorem solis, id est febris, decedit, secundum quod dicitur in Ysa.: *Flos decidens <glorie> exsultacionis eius*. Illi qui modo uolunt habere florem istum amittent fructum, id est gloriam eternam. Sicut uidetis qui colligit florem amittit fructum, unde in Ysa.: *Ante messem totus effloruit, et inmatura perfectio germinauit*. Solebat fieri antiquitus quod quando dominus papa de nouo creabatur, ante ipsum ponebatur stupa et candelā, et ponebatur ignis in stupa, et dicebatur: “Sic transit gloria mundi.”

12 E contrario gloria celi erit eterna. Vnde beatus Petrus: *Deus autem omnis gracie, qui uocauit nos in eternam gloriam suam, modicum passos etc.* Notabiliter dicit: *modicum passos*. Licet enim Deus uocabit nos in gloriam suam et promisit nobis eam, tamen per passionem et labores acquirendam, sicut Dominus promisit filiis |254va| Israel terram promissionis, tamen multis laboribus et bellis eam acquirendam. Vnde dicit Apostolus: *Id enim quod in presenti est momentaneum et leue tribulationis nostre est*

⁴ modica] written in the margin

etc. Et certe dicit *modicum passos*, quia *non sunt condigne passionis huius temporis* etc. Et in Prouerbiis dicitur: *Malum est, malum est, dicit omnis emptor; et cum recesserit, gloriabitur*. Sic dabat Alexander ciuitates suas.

13 Gloria mundi uilis est et ignominiosa. Quod sit uilis patet ex parte principii. Gloriatur enim homo aliquando de nobilitate generis, unde gloria eorum a partu et utero, et certe ibi⁵ magna est uilitas. Quod sit ignominiosa patet ex parte finis, quia terminatur ad confusionem, unde: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*. Et in Apocalypsi dicitur: *Quantum glorificauit se, et in deliciis fuit* etc. Ex parte materie de qua est patet quod est uilis et ignominiosa, unde primo Mach. II: *Gloria eorum stercus et uermis*.

14 Narratur quod quidam frater noster intrauit cameram cuiusdam nobilis amici sui, que tota erat depicta, excepta una parte in qua ponebantur aues nobiles, et illa de stercoribus auium erat deturpata. Frater autem quesiiuit ab illo nobili: “Quare illa pars non erat depicta quemadmodum alie partes”? Ille respondit ei quod ideo non erat depicta, ut appareret quod erat nobilis homo, et quod haberet aues nobiles. Tunc frater dixit: “In ueritate, uera est Scriptura que dicit, *gloria eorum stercus et uermis*, quia eciam de stercoribus auium gloriamini”!

15 Postea posset uideri qualis est ista gloria, et in quibus, et qualiter ad istam gloriam peruenitur.

⁵ ibi] written twice and expunged the second ibi

<SERMO 24>¹

<Sermo in festo natiuitatis beate Marie uirginis> Sermo in natiuitate² beate
Mar<ie> fratris Will<elm>i de Busci

Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris³ bone species in ornamentum domus sue, | 250ra | Eccli. XXVI.

1 In uerbis propositis nota<n>tur tria ad commendacionem Virginis pertinencia. Primo excellencia natiuitatis:⁴ *Sicut sol oriens in m<undo> in al<tissimis> Dei.* Secundo condicio siue proprietas nascentis cum dicitur: *sic mulieris bone species.* Tercio utilitas Ecclesie uniuersalis: *in ornamentum domus sue, scilicet Ecclesie.*

2 Excellencia autem natiuitatis tangitur in hoc quod comparatur soli, et soli orienti, et in altissimis Dei. Comparatur autem soli propter tria: sol enim est fons splendoris, fornax ardoris, principium omnis pul<l>ulacionis.

3 Sic beata Virgo fons splendoris, quia⁵ sicut a sole procedit splendor ad illuminandum mundum corporaliter, sic a Virgine processit splendor fidei siue cognicionis ad illuminandum mundum spiritualiter. Vnde de ipsa potest dici istud quod dicitur de sole in Ecclesiastico: *Sol illuminans per omnia respexit.*

4 Item fornax ardoris. Sicut enim a sole procedit in nos calor, sic per Virginem ostensus est nobis calor, scilicet amor quem Deus Pater habebat ad genus humanum quando filium suum in utero Virginis uoluit incarnari. Vnde in Ecclesiastico: *In conspectu ardoris eius, loquitur de sole, quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris.*

5 Vel principium omnis pul<l>ulacionis. Sicut enim omnia bona ueniunt a beneficio solis, unde de fructibus solis et lune dicitur in Deuteronomio, ita omnia bona uenerunt nobis a Maria: *Venerunt, inquit, michi omnia bona pariter cum illa.* Vnde et ipsa dicitur aqueductus per quem omnis gracia uenit ad nos, in Ecclesiastico: *Ego quasi aqueductus exiui de paradiso.* Et Bernardus: “Multo tempore fluenta graciaram defuerunt, quia nondum intercesserat aqueductus.”

6 Comparatur eciam soli orienti in mundo. Sol enim in ortu suo separat lucem a tenebris, sic in beata | 250rb | Virgine separata fuit lux gracie a tenebris culpe in ortu suo siue in natiuitate; ideo ante natiuitatem, quia ante sancta quam nata. *Sicut lux aurore, oriente sole, mane absque nubibus rutilat.* Vel sol tenebras fugat, sic beata Virgo tenebras erroris infidelitatis. Vel mundum illuminat, sic beata Virgo, cuius uita inclita cunctas illustrat ecclesias: *Sol illuminans* etc. Totam mundialem ornat machinam, sic beata Virgo, unde in uerbo proposito: *Sicut sol oriens in mundo* etc. Vel⁶ sol uidere facit, sic beata Virgo Deum uisibilem in humanitate, qui erat inuisibilis in diuinitate. Vnde dicebat Tobias: *Quale gaudium michi erit, qui in tenebris sum,⁷ et lumen celi <non*

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 249vb-251rb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 480, n. 34; TH. KAEPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 111, n. 1542

² assumptione] deleted and natiuitate added in the margin in another hand

³ mulieris] mulieres

⁴ natiuitatis] added in the margin in another hand

⁵ quia] qui written and a written above the line in another hand

⁶ Vel] written above the line

⁷ sum] Vulgate reads sedeo

ideo> etc.? Et Daudid: *Fuerunt michi in lacrimae mee panes die ac nocte, dum <michi quotidie> dicitur: 'Vbi est Deus tuus?'* Daudid noli flere, beata Virgo ostendit Deum tuum. In Baruch: *Post hec in terris uisus est, et cum hominibus conuersatus est.* Et Ecclesiaste: *Dulce lumen,*⁸ *et delectabile oculus uidere solem.* Vel sol omnes colores decorat, sic in beata Virgine omnes colores uirtutum fuerunt decorati. Ibi fuit pulchra uirginitas, quia sine aliquo motu luxurie, et sic unde Sap. vii: *Candor lucis eterne, et speculum sine macula Dei maiestatis;* et parum post: *Speciosior est sole.* Vel sol communis <est> bonis et malis, pauperibus et diuitibus, ideo omnibus, in Mt.: *Facit solem suum oriri super bonos et malos.* Sic beata Virgo communis est omnibus, unde ipsa dicit: *In me omnis gracia*, id est pro omnibus, et iustis et peccatoribus, et incipientibus, proficientibus, perfectis. Vel sol oriens facit inuenire illud quod perditum est, sic beata Virgo inuenit <graciam> et nos inuenire facit gratiam per Euam perditam, Vnde illi dictum est: *Aue, |250va| gracia plena; inuenisti gratiam apud Dominum.* Vel errantes reducit. Sic beata Virgo. Propter omnia ista dicitur in Cant.: *Que est ista que progreditur quasi aurora consurgens* etc.?

7 Spiritualiter, hec omnia facit sol, id est Christus, quando oritur per gratiam in corde cuiuslibet fidelis, unde Malachias iii: *Vobis timentibus nomen meum <oriatur Sol iustitie>* etc. Sicut enim sol paratus est intrare domum et illuminare, <ita> non restat nisi aperire fenestram liberi arbitrii, ut si es in peccato peniteas de peccato, proponas de cetero non peccare. *Ego*, inquit, *sto ad hostium et pulso* etc.; Eph. vi: *Surge qui dormis* etc. Econtra de multis dicitur in Iob: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt uias eius.* Vel sicut sol quando intrat domum fugat tenebras et illuminat, sic Christus quando intrat domum consciencie fugat tenebras culpe <et> illuminat eam lumine gracie, unde: *Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino.* *Erat, inquit, lux uera, que illuminat* etc. Vel sicut sol facit uidere, ita Christus quando intrat per gratiam facit uidere peccata nostra et defectus nostros. Ideo petebat Daudid: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Vnde petebat ille cecus:⁹ *Domine, ut uideam.* Et nota quod sicut in radio bene et clare illuminato uidentur parui athomi, ita quando cor bene est illuminatum per gratiam, uidet in seipso et ostendit aliis in confessione etiam paruos athomos, scilicet minimos defectus. Set econtra multorum cor et consciencia est sicut fundus caldarie et sicut carbo, ideo non uident defectus suos. Non uident nisi de nocte lucencia, que uidentur esse quasi aurum, et sunt putredo. Exemplum de illo qui uidebat homines quasi arbores <ambulantes>. Vel decorat omnes colores, sic Christus per gratiam omnes uirtutes. Virtutes |250vb| enim sine¹⁰ gracia sunt quasi colores de nocte; sicut enim de nocte physicales¹¹ colores dicuntur non esse, ita uirtutes sine gracia siue caritate dicuntur non esse uirtutes, uel saltem non habent decorem. *Omnis enim gloria eius filie regis ab intus*, id est ab interiori consciencia, *in fimbriis <aureis>*, id est bonis operibus et affectionibus caritate informatis, que per aurum designatur, *circumamicta uarietatibus*, id est uirtutibus. Ideo dicitur Sap. iii: *O quam pulchra es casta generacio cum claritate* etc.! Vel sol facit inuenire perditam, sic Christus per gratiam bona <opera> perditam per peccata mortificata facit redire.

⁸ lumen] lignum written, but I have written lumen with the Vulgate

⁹ cecus] added in the margin

¹⁰ sine] sancti written and expunged, sine written in another hand above the line

¹¹ physicales] omitted, but restored in the margin

8 Et nota quod dicit: *Sicut sol oriens in altissimis Dei*, sup<p>le: celi. In illis enim, qui sunt celi, id est mundi alti, et a terra eleuati, et mobiles sursum et deorsum, a dextera et a sinistra, oritur iste sol, unde: *Ego feci in celis ut oreretur lumen indeficiens*. Vel in altissimis. Altum celum est firmamentum, alcius celum crystallinum, altissimum empyreum, in quo sunt sancti et beati, beata Virgo, Christus. In illis ergo, qui sunt altissimi et qui habent cor suum in celo altissimo, in Deo, <et> in gloria sanctorum oritur Sol Christus et habitat, unde: *Ego in altissimis habito*. Ideo dicebat Apostolus in quo habitabat Christus: *Conuersacio nostra in celis est* etc. Et nota quod quando homo altissimus quando respicit inferius etc.¹²

9 Secundo notatur condicio siue proprietas nascentis: *sic mulieris bone species*, ubi describitur beata Virgo a tribus: a specie siue pulcritudine uirginitatis, a bonitate caritatis, a subiectione humilitatis. De istis tribus dicit beatus Bernardus: "Splendebat in carne eius uirginitas, feruebat in corde eius caritas, et in obsequio tota humilitas eminebat." Vnde de ipsa potest dici illud Gen.: *Ista est mulier, quam |251ra| preparauit Dominus [patri] filio domini mei*, scilicet filio suo. Et notatur quod bene coniungit ista duo, scilicet speciositatem et bonitatem, quia speciositas spiritualis idem est quod bonitas. Vnde speciositas exterior, scilicet conuersacionis, sine bonitate interiori, scilicet caritatis, est quasi pulchra ymago, Ysa. XLIII: *Fecit ymaginem uiri*. Quasi huius est episcopus, set qui episcopaliter uiuit. Similiter non omnis clericus est clericus, sic nec omnis Christianus, non omnis religiosus. Vnde super illud, *Homo, <homo> de domo Israel*, "credo," dicit Ieronimus, "<iam non> est homo homo, <s>et homo pecus." Ita <iam non> est religiosus religiosus, <s>et religiosus secularis.

10 Ibi eciam potes notare quod sicut pulcritudo corporalis consistit in tribus, scilicet in candore substrato, in rubore perfuso, et in lumine superueniente. Ita pulcritudo spiritualis consistit in candore uirginitatis siue castitatis, in rubore caritatis, in superueniente lumine gracie gratum facientis. Vnde in Eccli.: *Dilectus meus candidus et rubicundus; electus ex mil<l>ibus*.

11 Notandum quod est speciositas consciencie, Ps.: *Specie tua et pulcritudine tua*; unde parum post sequitur: *Omnis gloria eius filie regis ab intus. Ex Syon species decoris eius*. Syon interpretatur specula. In talibus enim qui speculantur statum suum et conscienciam suam per confessionem est pulcritudo consciencie, Ps.: *Confessionem et decorem induisti; amictus lumine* etc. Vel est speciositas gracie, Eccli. XL: *Graciam et speciem*, id est speciem ex gracia procedentem, *desiderabit oculus; et super hoc uirides saciones*. Sap. VII: *Super salutem et speciem dilexi eam*, scilicet sapienciam, id est sapidam scienciam. Et parum post: *Venerunt michi omnia bona pariter cum illa*, scilicet misericordia, Eccli. XXXV: *Speciosa |251rb| est misericordia, in tempore tribulacionis. Omnia enim tempus habent*. Similiter et misericordia tempus habet, scilicet in tempore tribulacionis et contemplacionis gloriose, Eccli. XLIII: *Species celi <gloria stellarum>*, id est celestium uirorum in uisione glorie et bonitatis perfecte. Ioelis II: *Nolite timere, animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti*. Speciosa deserti sunt perfecti et religiosi uiri, Eccli. XLIII: *Species celi gloria stellarum*. Et est speciositas glorie, Sapiencie V: *Accipient regnum decoris, et dyadema speciei de manu Domini*.

¹² Incomplete quotation. Not sure of its meaning?

12 Sequitur tercium, scilicet utilitas Ecclesie uniuersalis, scilicet *in ornamentum domus sue*. Ita enim beata Virgo est ornamentum domus sue, id est Ecclesie, sicut sol totius mundialis machine. Vnde sicut si non esset sol, nichil ualeret mundus eternus in tenebris, ita nisi esset beata Virgo. Si Virgo non fuisset, nec Christus secundum quod homo fuisset, perditioni fuisset! Vnde in Apoc.: *Mulier amicta sole et luna*, id est uniuersalis creatura, *sub pedibus eius*. In hoc enim quod ipsa fuit mater ueri Solis, scilicet Christi, excellit omnem creaturam, et corporalem et spiritualementem. Eccli. xl: *Edificacio ciuitatis*, id est Ecclesie, *confirmabit nomen; et super hanc mulier immaculata computabitur*.

13 De multiplici ornamento quo debet ornari anima sancta, quere eciam in illo sermone: *Spiritus Domini ornauit celos*.

<SERMO 25>¹

<Sermo in festo sancte Katherine>

Sermo de beata katerina fratris Guill<elm>i de Buscy

Inueni gratiam ante oculus tuos, domine mi, qui consolatus es me, et locutus es etc. Ruth 22^{o2}

1 Verba ista uidentur competere beate Katherine. In quibus considerans se liberatam a periculis mundi huius, gratias agit suo liberatori, et hoc specialiter quantum ad tria beneficia sibi collata in triplici conflictu siue pugna. Habuit enim conflictum contra carnis blanditias. Ideo gloriatur se inuenisse gratiam ad uirginitatis conseruationem. *Inueni*, inquit, *gratiam* etc. Sap. VIII: *Veni ad corpus incoinquinatum, et sciui quod* |256ra| *aliter non possum esse continens, nisi Deus det*. Secundo habuit conflictum contra tortorum molestias. Propter quod gloriatur se consolatam ad tormentorum superacionem, ut dicat cum Apostolo:³ *Secundum multitudinem dolorum meorum <in corde meo>, consolationes tue <letificauerunt animam meam>*. Vnde dicitur: *conso<latus> es me*. Habuit tercio conflictum contra philosophorum astucias. Propter quod gloriatur se instructam ad eorum conuersionem.

2 Vnde sequitur: *loquutus es ad cor ancille tue. Non enim uos estis qui loquimini et cetera*. Per uirginitatis conuersionem meruit aureolam uirginum, per⁴ tormentorum superacionem aureolam martirum, per philosophorum conuersionem aureolam predicatorum. Vnde ei competit illud Ysaie XXXV: *Gloria Libani data est ei, quoad aureolam uirginum*; Libanus enim candor interpretatur, in quo intelligitur uirginitas. *Decor Car<meli>*, quoad aureolam predicatorum; Car<melus> enim <interpretatur> scientia circumcisionis, hoc est predicacio que docet circumcidere uicia. Et Saron, quoad aureolam martirum; Saron enim interpretatur princeps meroris uel cantans tristiciam⁵ testimonium, per quod martirium designatur. Hec autem tria uoluit Deus signis uisibilibus indicare. Nam de corpore suo tres liquores dicuntur emanasse, scilicet lac in testimonium uirginitatis, sanguis in argumentum martirii, oleum in testimonium predicationis. Sermo enim Dei oleum dicitur in Scriptura, Ps.: *Molliti sunt sermones eius super oleum*. Hoc est quod cantamus de ipsa: “Percussa gladio dat lac cum sanguine collo. Quam manus angelica sepeliuit uertice Syna. Membris uirgineis olei⁶ fluit unda salubris.” Dicit ergo: *Inueni gratiam*. De hoc alibi dicitur.

3 Secundo regraciatur suo liberatori super consolacione sibi |256rb| prestita contra tortorum molestias: qui consolatus es[t] me. Non enim preualuisset sufferre tormenta, nisi affluisset consolacio diuina confortans eam. Vnde poterat dicere cum Apostolo: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum habundat consolacio*

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 255vb-257ra; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 480, n. 39; TH. KAEPPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 111, n. 1547.

² Ruth 2] written in the margin in another hand

³ Apostolo] should perhaps be corrected to read psalmista

⁴ per] added in the margin in another hand

⁵ tristiciam] added in the margin in another hand

⁶ olei] oleo

*nostra*⁷ etc., II ad Corinthios I. Tante enim sunt deliciae diuinae consolacionis, ut etiam presentis uite faciant obliuisci, Eccles. V: *Non satis recordabitur dierum uite sue, eo quod occupet Deus deliciis cor eius*. Set non omnibus datur nosse quam suauis est Dominus: *Animalis enim homo non percipit* etc.

4 Consolatur autem multa genera hominum. Primo alienam consolacionem non querentes, Ps.: *Renuit consolari anima mea*; et statim sequitur: *Memor fui Dei, et delectatus sum*; et parum post: *defecit spiritus meus*. “Gustato enim spiritu, desipit omnis caro,” ut dicit Gregorius. Vnde Ionathas: *Gustans gustauit[?] paululum mellis in summitate uirge, que est in manu mea, et ecce morior*. Bernardus: “Delicata est consolatio diuina,⁸ nec datur admittentibus alienam.” Hoc significatum fuit in hoc quod filiis Israel, qui farinam de Egypto deportauerant, durante farina cibum alium non dedit, qua deficiente dedit manna de celo, ipsis uero de fructibus terre promissionis comedentibus, ab ipsis manna subtraxit. Tren. I: *Audierint quia ingemisco, et non est qui consoletur me; audierunt malum meum, et letati sunt quoniam tu fecisti; adduxisti diem consolacionis*. Ysa. LIII: *Paupercula, paupertate comissa absque ulla consolacione, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, Glossa, id est “predicatores,” | 256va | et fundabo te in saphiris, Glossa, “hominibus qui uitam celestem ducant in terris.”*

5 Secundo consolatur seipsos peruidentes, Iudith: *Expectemus humiles⁹ consolacionem eius*. Humilitas est spernere mundum, spernere nullum, spernere seipsum, spernere se sperni. Item subdere se maiori, equali et minori. Tales Deus consolatur, II ad Corinthios VII: *Qui consolatur humiles, consolatus est nos — humiles, id est paruos*. Sicut mater consolatur filium suum quamdiu est paruus, nec potest comedere grossa cibaria, ideo tenere nutrit eum et lactat lacte corporis sui. Set quando crescit et incipit comedere grossa cibaria, tunc statim ablactat, sic facit Dominus. Ps.: *Si non humiliter sciebam, set exal<taui> animam meam; sicut ablactatus sum super matrem suam, ita retribucio in anima¹⁰ mea*. Gregorius: “Probacio sanctitatis non est miracula facere, set de se humilia sentire.”

6 Tercio consolatur prospera contempnentes, amorem scilicet diuiciarum, deliciarum et honorum. Act. III dicitur quod *Barnabas, qui interpretatur Filius consolacionis, cum adheret¹¹ agrum, uendidit illum, et attulit precium eius, et posuit ante pedes apostolorum*. Tales sunt filii Dei et omnes in gracia existentes.

7 Alii uero prospera mundi male amplectentes. Et omnes in peccato mortali existentes non sunt eius filii, nec ei in aliquo attinent nisi forte uoces eos ‘filastres.’ Ideo istos consolatur, non illos, sicut mater filios suos consolatur, et dat eis lac mamille sue, non aliene. Ysa.: *Ad ubera portabi | 256vb | mini, et super genua blandientur uobis. Quomodo si cui¹² mater blandiatur, sic ego consolabor uos, dicit Dominus*. Si autem Deus alienis dat consolacionem aliquam bonorum fortitudinis¹³ uel nature, hoc aduertant ipsi, quod hoc facit amore filiorum suorum, sicut et mater aliis uenientibus cum filio suo dat panem durum et lac et caseum, set lac mamille sue non dat nisi filio suo. Quamdiu mali coniuncti sunt cum bonis, dat eis ista bona

⁷ ita — nostra] added in the margin in another hand

⁸ diuina] aliena written, but I have written with Bernard

⁹ humiles] humilites written, and the i is expunged

¹⁰ anima] anime written, but I have written with the Vulgate

¹¹ adheret] adhreret (?) written

¹² cui] sicut written, but I have written with the Vulgate

¹³ fortitudinis] fortitudine

temporalia, non propter ipsos, set propter bonos. Hoc contra illos qui credunt quod Deus totum faciat eis propter pulcros oculos eorum. Contra eciam illos qui dicunt quod postquam uenerunt tales non fuit bonum tempus. Consolacio malorum temporalis est et causa dampnacionis eorum, unde: *Ve uobis diuitibus, quia habetis hic consolacionem uestram*. Nota quod dicit "hic," quasi discretiue, ita habetis in uita ista quod non habebitis in futura. Consolacio bonorum spiritualis est et causa salutis eorum, in Ysa.: *<Vt> sug[g]latis et impleamini ab uberibus consolacionis eius, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius*. Aduerte quod penitus contrarie sunt predicte consolaciones, nec finalis esse possunt, unde in Luca: *Fili, recordare quia re<cepisti> bo<na> in uita tua* etc. Vnde solutus est super unguem.

8 <Quarto> consolatur in aduersa tollerantes, II ad Corinthios vii: *Repletus sum consolacione; superhabundo gaudio in omni tribulacione nostra*; et parum post: *Nullam requiem habuit caro mea, set omnem tribulacionem passi <sumus>; foris pugne, intus timores*. Set |257ra| *qui solabatur humiles, consolatus es<t> nos*. Et Apostolus: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Ihesu Christi, qui consolatur nos* etc. Sic consolatus est Iob de perdicione rerum suarum, dicentem: *Nudus egressus sum de utero matris mee*.

<SERMO 26>¹

<Sermo in commemoratione beate Marie uirginis>
De beata Maria fratris Will<elm>i de Buscy

Ista est mulier, quam preparauit Dominus fili<lio> domini sui.

1 Ista uerba scripta sunt de quadam puella nomine Rebecca, de qua dicitur Gen. XXIII quod *erat puella pulcra nimis, uirgoque pulcherrima et incognita uiro*, per quam satis competenter designatur, que fuit pulcra pul|251va|critudine nature, pulcrior pulcritudine gracie, pulcerrima pulcritudine glorie. Pulcra quoad statum incipiendum, pulcrior quoad statum proficiendum, pulcherrima quoad statum perfectorum. Vnde propter eius pulcritudinem comparatur ei quod est pulcristus de die, scilicet soli, et de nocte, scilicet lune, et ei quod est pulcristus in confinio diei et noctis, scilicet aurore. Vnde in tota uita sua fuit pulcra quia peccatum aliquod non fecit, unde in Eccle.: *Tota pulcra es, amica mea* etc.

2 Rebecca interpretatur multa patiencia et multa sapiencia et que multa accepit a Deo beneficia, unde ipsa dicit: Quia fecit michi magna qui potens est. Nota de historia quomodo Abraham non habebat nisi unum filium, et nolebat eum mactare² etc. *Ista mulier est, beata Virgo, quam preparauit Dominus*, scilicet Pater, apud quem residet auctoritas, *fili domini mei*, scilicet Filius suo. Vnde tangitur ibi eius singularis dignitas: *Ista est mulier, quam preparauit Dominus*; eius singularis fecunditas: *fili domini mei*. Dicitur autem *mulier*, non tamquam mollita ab ero, set tamquam molliens erum, scilicet Christum. Ipsa enim Filium Dei emolliuit, et crudelitatem eius quasi temperauit. Cum³ enim legamus diluuium, incendium Sodomorum hominum, uineorum ad inferos descensum, nichil tale legimus pos<t>quam ad eam intrauit. Vnde in Cant.: *Mandragore dederunt odorem. In portis nostris <omnia poma>*. Mandragora herba est de qua fit pocio que facit hominem obdormire et nichil penitus sentire, ita ut totus possit incidi et membris suis detractari. Benignitas ergo beate Virginis fuit quasi mandragora, que Filium Dei obdormire fecit, et quasi insensibilem, sustinere uulnera passionis.

3 Ista <mulier> ergo emolliuit Filium Dei primo per inclusionem uiscerum suorum; clausus enim in uisceribus misericordie, |251vb| misericors effectus est, iuxta illud Iob: *Ab infancia creuit mecum misericordia: et de utero egressa est mecum*. Sicut enim liquor retinet saporem uasis, uas quoque saporem liquoris, ita Filius quodammodo factus est benignior ex matris benignitate. Mater uero facta est sanctior ex Filii sanctitate. Et sicut archa in qua fuit muscus, sublato⁴ musco, odorem retinet, ita pia mater, que in suis uisceribus continuit Filium, summum⁵ bonum, etiam eo sublato, retinuit bonitatem.

4 Secundo emollit Filium supplicatione precum. Exemplum de Bethsabee, cui

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 251rb-252va; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 480, n. 35; TH. KAEPPPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 111, n. 1543.

² mactare] narrare

³ Cum] added in the margin

⁴ sublato] written twice, and the second sublato is expunged

⁵ summum] summe

respondit Salomon: *Pete, mater mi: neque enim fas est ut auertam faciem tuam*. Exemplum etiam de Hester, cui respondit Assuerus: *Quid petis, Hester? Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis*. Vnde et ipsa dicitur misericordie regina.

5 Tertio ergo emollit <Filius> uberum ostensione. Vnde mater ostendit Filio pectus et ubera, ac si dicat: “Fili, per ubera que succisti,⁶ parce populo tuo.” Vnde quasi quedam pia contencio est inter Filium et matrem. Filius indignans peccatoribus, dicit ergo: “Ego percuciam.” Et mater: “Ego sanabo.” Filius: “Ego occidam.” Et mater: “Et ego uiuere faciam.” Sicut autem mater ostendit Filio pectus et ubera, <ita> Filius Patri latus et uulnera, inclinans Patrem ad misericordiam. De hac ostensione uberum dicitur in Eccli.: *Veni, dilecte mi, egrediamur⁷ in agrum, moremur in uillis*. Et postea subiungit: *Ibi dabo tibi ubera mea: supplicans tibi pro peccatoribus, et maxime pro illis qui sunt suo officio deputati*.

6 Legimus autem in sacra Scriptura tres⁸ mulieres uirum emollientes in signum quod per tria potest quis emollire | 252ra | Christum.

7 Legimus enim II Reg. XIII et XIII quod cum Absalon fugisset a facie Dauid eum persequentis, quedam mulier sapiens Thecutes induta ueste lugubri quasi mulier iam plurimo tempore lugens⁹ mortuum. Ingressa est ad regem, et cecidit coram eo, et adorauit, et dixit: *Heu, mulier uidua ego sum: mortuus est enim uir meus. Et ancille tue erant duo filii qui rixati sunt aduersus se in agro, et percussit alter alterum, et interfecit eum. Et ecce consurgens uniuersa cognacio, dicit: ‘Trade eum qui percussit fratrem suum ut occidamus eum et delemus heredem.’*¹⁰ Et sic emolliuit Dauid. Vnde dixit ei Dauid: *Vade in domum tuam; ego iubebo pro te*. Ista mulier uidua est peccatrix anima que a Christo sponsu suo est uiduata. *Iniquitates, inquit, uestre¹¹ diuiserunt inter uos <et Deum> etc.* Duo filii caro et spiritus; rixa duorum fratrum est concupiscencia carnis aduersus spiritum, nam secundum quod dicit¹² Apostolus: *Caro concupiscit aduersus spiritum etc.* Tunc autem spiritus uincitur et occiditur, quando concupiscencie consentit, unde: *Si secundum carnem uixeritis, moriemini*. Ista autem mulier, ut emolliret regem, luctum simulauit siue luxit, *induta est ueste lugubri, et cecidit coram eo super terram*. In hoc quod luxit intelligitur contritio. *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*. In hoc quod cecidit coram eo et humiliavit se intelligitur confessio; <sicut> quando peccator humiliat se et recognoscit peccata sua coram sacerdote. In hoc quod induta¹³ est ueste lugubri et adorauit intelligitur satisfactio. Exemplum habes de Achaz,¹⁴ exemplum de Semei, exemplum de Niniuitis.

8 Alibi legitur | 252rb | I Reg. xxv quod Abigail¹⁵ emolliuit Dauid qui iurauerat quod interficeret uirum suum Nabal. Emolliuit autem eum occurrendo ei et offerendo ei munera, scilicet *ducentos panes, et duos utres uini, et quinque arietes coctos, et uuas passas*. Per ista autem munera intelliguntur bona opera precipue misericordie et pietatis, que Deo offerimus quando pauperi subuenimus, secundum quod ipse dicit:

⁶ succisti = suxisti

⁷ egrediamur] ingrediamur written, and in expunged, then e written above the line

⁸ Although the scribe wrote tres, William goes on to give four (quattuor) examples of women who mollified men

⁹ lugens] written twice

¹⁰ heredem] recedere written, but I have written with the Vulgate

¹¹ uestre] illegible

¹² dicit] written twice

¹³ induta] induata written, but first a is expunged

¹⁴ Achaz = Achab

¹⁵ Abigail] bigail written and a added above the line

Quod uni ex minimis meis fecistis, michi fecistis. Ideo dicebat Iacob, Gen. xxxii: *Placabo eum muneribus que precedent, et postea uidebo illum, forsitan propitiabitur michi.* Notabiliter autem dicit: *placabo eum muneribus*, id est ele<e>mosinis, *que precedent*, contra illos qui post mortem suam faciunt ele<e>mosinas quando iam non possunt diuicias possidere.

9 Vtilior enim est ele<e>mosina data in uita ab aliquo quam post mortem data pro eo. Candela autem, que antefertur alicui de nocte per uiam malam eunti, custodit¹⁶ eum a casu in foueam uel lutum. Non sic candela que fertur ei post dorsum. Sic ele<e>mosina ante mortem data custodit hominem, ne cadat in foueam peccati et inferni. Set Zacheus non moriens, *dimidium*, inquit,¹⁷ *bonorum meorum do pau<peribus>*. Non dicit: “Dabo per executores meos,” <set ait>: *Et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*. Non ait: “Faciam reddi per executores,” uel: “Faciam michi remitti,” uel: “Si qui conqueruntur, fiet eis iusticia,” set ait: “Reddo”. Nec solum quod male habuerat, set etiam de iniuria quam detinendo fecerat satisfacere uoluit. Ideo dicitur Eccli. xiiii: *Fili, ante mortem benefac amico tuo, et secundum uires tuas, exporrigens da pauperi*.

10 Alibi legitur de Hester, que tactu | 252va | uirge auree, quam rex porrexit ei in signum clemencie, in signum quod emollitur per memoriam passionis dominice. Virgam enim auream tangere est passionem Christi ad¹⁸ memoriam reducere.

11 Alibi legitur de muliere Chananea finibus Tyri egressa que molliuit Christum in tantum, ut diceret ei, *Fiat tibi sicut uis*, in signum quod emollitur per instanciam deuote orationis, secundum quod dicitur in Luca: *Quis ex uobis habebit*¹⁹ *amicum*.

¹⁶ custodit] ostendit

¹⁷ inquit] written above the line

¹⁸ ad] per written and expunged, and ad written above the line

¹⁹ habebit] habemus written, but I have written habebit with the Vulgate

<SERMO 27>¹

<Sermo in aduentu uel natiuitate Domini uel annunciationis> Sermo in aduentu uel natiuitate Domini uel annunciacione fratris Guill<elm>i de Buscy

Post hec respexit in terram, et impleuit eam bonis suis etc.

1 *Post hec*, id est post parentis primi transgressionem, eius de paradiso eiectionem, totius generis humani condemnationem, et multiplicem eius penalitatem et afflictionem, licet ei Deus ista consideraret, tamen erat quasi non uidens miseras materias dissimulando;² in Ysa.: *Ego <tacens et> quasi non uidens. Set usquequo, Domine, faciem tuam auertis? Obluisceris inopie nostre et tribulationis nostre? Quare taces conculcante impio iustior se?* Et si iniusti, tamen iniustior qui detinet nos; licet enim iuste detineremur, tamen dyabolus iniuste detinebat.

2 *Post hec igitur respexit in terram et impleuit eam bonis suis.* Quatuor possunt notari in uerbo proposito. Primo humane nature despectus: *Post hec*; multum enim despecta erat natura humana quando carebat diuina presencia. Secundo notatur eius multiplex defectus, cum notatur terra:³ *Post hec respexit in terram.* Tertio clemens Dei respectus, cum |252vb| dicitur: *respexit in terram.* Quarto eius⁴ clemencie multiplex effectus: *et repleuit eam bonis suis.*

3 Dicit ergo: *post hec*, scilicet post tenebras ignorancie, que scilicet erant ante incarnationem. *Tribus enim diebus nemo uidit fratrem suum*, id est perfecte cognouit Christum. *Tribus diebus*, id est tribus temporibus, id est tempore patriarcharum, iudicum, et regum. In Iob: *Et ecce post tenebras spero lucem*, scilicet gracie et consolacionis diem. Eccli.: *Sol illuminans per omnia <respexit>, et gloria Domini plenum est opus eius.*

4 *Vel post hec*, id est post tempestatem diuine iracundie que erat intollerabilis ad genus humanum, sicut patet in diluuiio et in multis aliis, Tobie III: *Post tempestatem tranquillum facis; et post lacrimationem et fletum, exultationem infundis.*

5 *Vel post hec*, <id est post> ignem penalitatis et miserie. In quanta miseria et penalitate erat genus humanum ante aduentum Christi patet cuilibet, III Reg. XIX: *Post ignem sibilus aure tenuis*, ibi Dominus. In sibilo tenui gracie Spiritus sancti, ibi Dominus.

6 Sequitur secundum, scilicet humane nature multiplex defectus, qui notatur in hoc quod comparatur terre. *Post hec*, inquit, *respexit in terram*, id est in naturam humanam uel in Virginem beatam. Comparatur autem natura humana terre maxime ante incarnationem propter tria incommoda, que tanguntur in Ps.: *In terra deserta, <et inuia, et inaquosa> etc.*

7 Ante aduentum Domini terra cordis humani erat deserta per elaciones et superbie timorem. Tunc enim deseritur a Deo homo quando innititur sensui suo et

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 252va-253va; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 480, n. 36; TH. KAEPELI, *Scriptores*, v. 2, p. 111, n. 1544.

² dissimulando] dissimilando

³ terra] in written before and expunged

⁴ eius] written twice

presumit de se, et tunc confunditur: *Confundetur Israel in uoluntate sua*. Sicut enim Deus non derelinquit sperantes in se, ita deserit pre |253ra| sumentes de se. Et tunc quando est sine Deo, qui est omne bonum, est quasi terra deserta in qua nullum bonum crescit, Ioel II: *Quasi <h>ortus uoluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti*.

8 Vel inuia per ignorancie errorem, in Ysa.: *Aspiciemus terram, et ecce tenebre; et alibi: Via impiorum tenebre; in tenebris ambulant* etc.

9 Vel inaquosa per defectum humoris graciae siue siccitatem, unde dicebat illa: *Terram arentem dedisti michi, iunge et irriguam. Non enim pluerat Deus super terram, et homo non erat qui operaretur eam, set hodie fons⁵ ascendebat e terra* etc. *Hodie enim nubecula parua ascendebat de mari quasi uestigium hominis* etc.

10 Sequitur tercium, scilicet clemens Dei respectus. *Post hec, inquit, respexit in terram*. In Zacharia IIII legitur quod in lapide uno septem sunt oculi Domini, qui discurrunt in uniuersam terram. Quid autem sit lapis iste exponit Ysaías: *Ecce ego ponam in fundamentis Syon lapidem angularem* etc.; et beatus Petrus, I Petr. II: *Ad quem accedentes lapidem uiuum, ab hominibus qui<dem> reprobatum, a Deo aute<m> electum, et honorificatum*; et Paulus dicit: *Petra enim erat Christus*. In isto lapide sunt septem oculi, id est septem respectus Dei, qui omnes concurrunt in solempnitatem hodiernam.

11 Respexit enim Dominus Virginis humilitatem, unde ipsa dicit: *Respexit humilitatem ancille sue: ecce enim ex hoc* etc. *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat michi secundum uerbum tuum*. Hoc dicto, statim concepit. Vnde et beatus Bernardus dicit quod uirginitate placuit Deo, humilitate Deum⁶ concepit. Maius autem est con |253rb| cipere Deum quam Deo placere. Omnes iusti placent Deo, set sola Virgo concepit, ideo potius beata Virgo commendat se de humilitate quam de uirginitate, Ps.: *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta, id est superbia, a longe cognoscit*.

12 Vel humane nature afflictionem, defectum siue paupertatem. Magna paupertas nature humane ante incarnationem, unde dicebat Dauid: *Pauperes facti sumus nimis*. Nimis habundabat in paupertate, Eccli XI: *Est homo marcidus egens recuperacione, et deficiens uirtute, et habundans paupertate; et oculus Dei respexit illum in bono*. Vnde illum qui marcessit,⁷ id est deficit in seipso, nec confidit in se, et recognoscit paupertatem suam, respicit Deus in bono, unde Ps.: *Respice in me, et miserere mei; quoniam unicus et pauper sum ego*. De hoc dicitur Exodi II: *Audiuit gemitum eorum, scilicet filiorum Israel, qui opprimebantur ab Egipciis et seruiebant in luto et latere, et recordatus est federis quod pepigerat cum Abraham, Ysaac et Iacob. Et respexit filios Israel et cognouit eos*. Nec illi fuerunt ingrati. Ideo sicut dicitur in sequenti capite: *Audierunt quod uisitaret Dominus filios Israel, et quod respexit afflictionem eorum: et proni adoraue<runt>*. Nos eciam proni adoramus et uias <rectas> fecimus, audito beneficio incar<nationis> et dominice Annunciationis.

13 Vel iniustam demonum oppressionem, Exo. XIII: *Iamque aduenerat uigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Egipciorum, interfecit exercitum eorum: et subuertit rotas <curruum>, fer[r]ebanturque in |253va| profundum*. Iam, inquit, aduenerat uigilia matutina. Multe sunt uigilie, inter quas una est matutina, et ista fuit hodie.

⁵ fons] factus written, but I have written with the Vulgate

⁶ humilitate deum] omitted, but added in another hand at the foot of the page

⁷ marcessit = marcescit

Hodie enim incepit lacio solis super terram, et ita manencium, Ps.: *In matutino interficiebam omnes peccatores terre.* Tunc enim incepit, set in passione consum<m>auit. *Et subuertit rotas curru<u>m* etc., id est impetum temptationum eorum, ut non temptent quantum possunt, set quantum Deus permittit et nos possumus sustinere: *Fidelis enim Deus <est>, qui non permittit uos temptari ultra id quod potestis* etc.

14 Item antiquorum patrum desiderium siue affectionem: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius.*

15 Item ad animarum nostrarum dignitatem, in Ysa.: *Respice, Dominus, populus tuus omnes nos;* et in eodem capitulo: *Domine, tu pater noster <es>, nos uero lutum. Abraham nesciuit nos* etc.

<SERMO 28>¹

<Sermo in quolibet sabbato per annum>

Sermo in quolibet sabbato per annum fratris Guielmi de Buscy

Inuenisti gratiam apud Deum.

1 Non dicit emisti² gratiam, quia gracia non cadit sub precio, Iob XXVIII: *Non adequabitur ei aurum et argentum, nec commutabuntur pro ea uasa aurea*; et Sap. VII: *Diuicias nichil esse duxi in comparacione³ illius. Omne aurum in comparacione illius quasi <h>arena est exigua* etc. Item non dicit meruisti <gratiam>, quia non⁴ sub merito cadit, quia iam non esset gracia. Ideo enim "dicitur gracia, quia gratis datur," sicut dicit Glossa super illud Ro. VI: *Gracia Dei, uita eterna*.

2 Nota ad presens, sicut alibi habes, quod quadruplex est gracia quam inueniunt quatuor genera hominum.

3 Prima <gracia> est erudicionis, de qua Apostolus: *Apparuit gracia Domini, nostri Ihesu Christi, erudiens nos* etc. Hanc inueniunt humiles, scilicet humiliter audientes uerbum Dei, unde in Actibus Apostolorum dicitur quod *adhuc loquente Petro uerba hec, occidit super omnes qui audiebant uerbum Spiritus sanctus*. Et Sapiens: *Audi tacens, et pro reuerencia* etc. Et beatus Iacobus: *Deus superbis resistit* etc. Et in Ecclesiastico: *Quanto magnus es* etc. Et II Reg. XIII: *Cadens Iob super faciem suam in terram, adorauit, et benedixit regi, et dixit: Hodie intellexit seruus tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, domine mi rex*.

4 Secunda gracia est iustificacionis, de qua dicit Apostolus: *Omnes enim peccauerunt* etc. Hanc inueniunt penitentes, Iere.: *Inuenit gratiam in deserto populus qui remanserat <a> gladio*. Maria, <que> inuenit gratiam, interpretatur amarum mare.

5 Tercia gracia est gracia redemptionis. Hanc inueniunt frequenter Dei beneficia memorantes, Exod. XXIII: *Ostende michi faciem tuam, ut sciam te, [255ra] et inueniam gratiam ante oculos tuos* — ut sciam te, id est ut habeam agnitionem beneficiorum tuorum, et sic inueniam gratiam.

6 Set que est ista gracia⁵ quam petit sibi ostendi ad inueniendam gratiam? Isti facies est illa facies quadruplex de qua Ezech. I: *Quatuor, inquit, facies uni*.⁶ Facies hominis que tunc nobis ostenditur cum Christi incarnationem consideramus. Facies uitul cum eius passionem ad memoriam reducimus; uitulus enim in Lege erat animal immolatum, et significabat Christum immolandum. Facies aquile nobis ostenditur quando eius ascensionem consideramus. Facies leonis quando districti iudicii examinationem ad memoriam reducimus.

7 Prima facies nobis ostenditur ne superbiamus, set humiliemus nos perfecte et deiciamus. Quis enim non erubescit superbire si attente consideret quantum Deus

¹ Transcribed by Andrew T. Sulavik from manuscript: Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana 1897, ff. 254vb-255vb; J. B. SCHNEYER, *Repertorium*, v. 2, p. 480, n. 38; TH. KAEPPEL, *Scriptores*, v. 2, p. 111, n. 1546.

² emisti] omitted, but added in the margin in another hand

³ comparacione] conspectu written, but I have written with the Vulgate

⁴ non] dicit written after and expunged

⁵ gracia] perhaps gracia should be facies?

⁶ uni] viii, I have written with the Vulgate

exinaniuit semetipsum etc., <id est> Filius Dei qui factus est filius hominis, Conditor hominis qui factus est homo? Parum dico, ideo factum est fenum, Ysa. xl: *Omnis caro fenum. Verbum autem caro factum est.* Ergo Verbum factum est fenum. Hoc autem congruebat nostre saluande miserie. *Homo enim cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est iumentis.* Et ideo delectabatur comedere fenum, quod uidens benignissimus Creator noster quod homo, quem creauerat ad fruendum pane angelorum, auertat se a bono incommutabili, delicias reputans fenum rerum temporalium com[m]edere, assumpsit infirmitatem nostram, ut sub feno nostre mortalitatis homines brutales ad amorem suum alliceret. Qui enim fastidiebant com[m]edere <manna>, qui |255rb| est panis angelorum. "Erubescat ergo homo esse superbus, quia humilis factus est Deus." De hac facie dicit Psalmista: *Celi*, qui sunt alti, id est superbi, *distillauerunt, a facie Dei Synay, a facie Dei Israel*; et in Ysa.: *Vtinam disrumperes celos, et descenderes; a facie tua montes <defluerent>* etc.!

8 Secunda ut feruenter Deum diligamus, Ps.: *Ignis a facie eius exarsit; car<bones> suc<censi> sunt ab eo.* Bernardus: "Super omnia amabilem te michi reddit, bone Ihesu, calix quem pro me bibisti, opus redemptionis nostre. Hic omnino amorem meum facile uendicat totum sibi."

9 Tercia ut precipue in ipsum confidamus. Quis enim desperet de misericordia, considerans fratrem suum, Dominum Ihesum Christum, eleuatum ad dexteram Patris, et allegantem⁷ pro miseris fratribus suis, quos reliquit in loco horroris? Confidamus ergo nec desperemus. *Caro enim et frater noster est*, sicut dicitur in Genesi, et ille allegat pro nobis, I Io. 1: *Aduocatum habemus.* Bernardus: "Securum habes, O homo, accessum ad Deum" etc. De hac facie dicitur Hester 11: *Valde admirabilis <es> domine, et fa<cies> t<ua> p<lenu> est grciarum.*

10 Quarta ut ipsum continue timeamus, Amos 3: *Leo rugiet, quis non timebit?* Tunc enim erit ut leo paratus ad uindictam qui modo contempnitur ut agnus paratus ad misericordiam. Bernardus: "*Cognoscetur Dominus iudicia faciens*, qui modo ignoratur misericorditer agens." De ista facie dicitur in Ps.: *A facie Domini mota est terra et cetera.*

11 Quarta gracia est gracia confirmationis, de qua I Pe. v. Hanc inueniunt mundo abrenunciantes, Ruth 11: *Vnde hoc michi, ut inueniam gratiam ante oculos tuos, et nosse me |255va| dignareris peregrinam mulierem?* id est que eram ante peccatrix et a Deo per peccatum alienata. *Et respondit: Nunciata sunt michi <omnia> que feceris, quod reliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et ueneris ad populum quem antea nesciebas*, quasi dicat: Ideo inuenisti, quia⁸ reliquisti ista. Impossibile enim est quod homo propter amorem Dei relinquat patrem et matrem, et intrat religionem, in qua sunt congregati quasi *ex omni natione, que sub celo est, populi*, quem ante nesciebat, et non inueniat gratiam apud Deum. Mentiri enim non potest Veritas, que dicit Mt. xi: *Nemo est qui relinquit domum.*

12 Set quomodo aliquis potest scire si inuenit gratiam? Sciencia enim certitudinali scire non potest: *Nemo enim scit utrum amore uel odio* etc. Potest tamen scire scienciaconiecture per aliqua signa que ad presens sunt.

⁷ allegantem] alligantem

⁸ quia] quare written, and expunged, and quia added in same hand

13 Primum signum est ueteris conuersationis inmutacio, quando scilicet huius gestus et mores quos habebat in peccato, corrigit in melius, ut oculi eius et aures et alii sensus et gestus corporis, qui prius inordinati erant et expositi illicitis, componantur et restringantur, et etiam a licitis. Et quod hoc sit signum gracie inuente patet per illud Hester III: *Si placet regi et inueni gratiam coram oculis eius etc. <obsecro, ut nouis epistolis, ueteres> Aman littere, insidiatoris et hostis Iudeorum, quibus eos in cunctis prouinciis regis perire preceperat, corrigan- tur.* Littere istius Aman sunt gestus et mores ueteris conuersacionis, quibus ille iniqus Aman, insidiator Christianorum, membra nostra informat in periculum animarum nostrarum. Sicut enim littere sunt signa manifestancia intencionem |255vb| occultam, ita gestus exteriores nunciant de homine interiori, unde: *Amictus corporis et risus <dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo> etc.*, Ecclesiastico XIX. Set iste littere nouis corriguntur epistolis quando in mores compositos et honestos commutantur. Et hoc est signum gracie inuente.

14 Secundum signum est boni propositi recta executio, Luce I: *Inuenisti gratiam* etc. Et quomodo possit hoc scire? Et statim sequitur: *Ecce concipies, et paries filium, et uo<cabis> nomine eius Ihesum* etc. Vnde quod homo concipit bonum propositum et parit, id est opere implet, et hoc propter salutem suam – hoc est signum⁹ gracie inuente.

15 Tercium signum est bonorum operum multiplicacio.

16 Quartum signum est desiderium celestis patrie et anhelacio, II Reg. xv: *Si Inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me*, ad patriam scilicet celestem a qua exulauit per peccatum, *et ostendet michi archam et tabernaculum suum.* Hoc significatum est <in> Exo. XXXIII, ubi Dominus dixit ad Mo<ysen>: *Inuenisti gratiam coram me, et te ipsum noui ex nomine.* Et statim Moyses: *Ostende michi gloriam tuam*, in quo ostenditur quod euidentissimum signum gracie inuente est desiderium celestis patrie.

⁹ signum] gratiam written after and expunged